DE CICUTA
COMMENTARIUS

AUCTORE

JOANNE VIVENTIO


SERENISS. SICILIARUM REGIS

ARCHIATRO.

Editio tertia emendatior, ac novis accessionibus locupletior.

ACCEDIT EPISTOLA

De Neapolitana Epidemica Febre anni MDCCLXIV.



NEAPOLI MDCCLXXIV.

EXCUDEBAT DONATUS CAMPO.

PUBLICA AUCTORITATE.

Βούλευου δὲ πρὸ ἔργου, ὅπως μὴ μωρὰ πέληται.
Δειλοῦ τοι πρήσσειν τε λέγειν τ' ἀνόητα πρὸς ἀνδρός.
Ἀ' λλὰ τάδ' ἐκτελέειν, ἅ σε μὴ μετέπειτ' ἀνιήσῃ.

Conſulta ante opus, ut ne ſtulta inde exiſtant.
Stolidi utique eſt viri & facere, & dicere inconſiderata.
Verum ea perage, quæ te poſtea non moleſtent.

PYTHAGORAS in aureis carminibus
verſ. XXVII.

AD TERTIAM EDITIONEM

PRÆFATIO.

SI cui mirum fortasse videatur, me tertio de Cicuta post breve septem annorum spatium scribere, ei exemplarium defectus, atque crebræ plurimorum expostulationes causam probabunt, quamobrem pene invitus meum de Cicuta Commentarium rursus ediderim. *Casertana*, atque *Herculanensis* rusticatio, quibus in locis muneris mei ratio postulat, ut *Serenissimum REGEM* sequar, effecerunt, ut varia, legendo, aut ex Antiquis, aut ex nuper editis libris decerperem, quæ ad Cicutæ historiam, & medicum usum pertinent, quæque appositis in locis adjeci; & interdum meliora edoctus mutare sententiam non erubui: ea omnia quisque per se poterit animadvertere, alteram cum hac tertia comparando editionem.

Ne vero in immensam excresceret li-

bellus molem, morborum historias Cicutæ usu curatorum, augere nolui: Enimvero salubres remedii hujus vires nemo est hodie, qui ignoret; & Medici quotidie felicissimo ejusdem usu vim suam quammaxime ostendunt, atque commendant; unde & Cicutæ extractum omnibus prostat in Officinis, & in publico Remediorum Codice descriptum habetur.

Vitia typographica, dum impressum opus denuo recognovi, non absque fastidio irrepsisse vidi; ea vero quia rerum sensum non turbant, oro, obtestorque, ut aequus Lector ipse corrigat.

Neapoli ex Ædibus Regiis *Idibus Februarii* MDCCLXXIV.

OPE-

OPERIS NUNCUPATIO PRIMÆ EDITIONIS

VIRO EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMOQUE

GERARDO
L. B. VAN SWIETEN

AUGUSTISSIMI IMPERATORIS, ET IMPERATRICIS A CONSILIIS,
ARCHIATRORUM SACRI PALATII COMITI,
REGII ORDINIS D. STEPHANI COMMENDATORI,
Collegii Censuræ Librorum, Reiquæ Medicæ Præsidi Perpetuo, Augustalis Bibliothecæ Præfecto,
Nec non Academiæ Reg. Scient., & Chirurg. Paris., Academ Scient. Petropolit., Acad. Natur. Curios., Instit. Bonon., Collegii Regii Medic. Edinburg., Societ. Scient. Harlem., Botanic. Florent., German. Jenens., Degli Agiati di Rovereto Membro.

JOANNES VIVENTIUS.
FELICITATEM.



UOD Cl. Nomini *TUO*, *GERARDE* Doctissime, *opusculum qu alecunque meum inscriptum* vo-

voluerim, non una fuit consilii mei ratio. Primo summæ benevolentiæ erga me TUÆ, & beneficiorum, quibus me sæpissime cumulasti, testimonium aliquod publice ut extaret, nisi ingratus sim, curandum fuit, ut quantum, quamque multis TIBI nominibus devinctus debeam, notum esset omnibus, atque exploratum; deinde, ne TE, quem Medicorum facile Principem & hæc suspicit, & postera demirabitur ætas, quasi despicere, ac dignitati TUÆ deesse viderer. Manent alta mente reposita, neque ulla unquam delebit ætas, responsa, & consilia TUA, quibus aut in gravissimorum morborum difficultatibus, aut in quorundam medicamentorum natura, usu, ac viribus per-

pernoſcendis me antea impeditum, vinculis, ac difficultatibus quam facillime per TE *expeditis omnibus, liberaſti. Præterea ingenii mei, quod ſentio, quam ſit exiguum, periculum hoc graviſſimo judicio* TUO *ſubiiciendum fuit. Cum enim ætas mea in ea tempora inciderit, quibus homines ad criminandum, quam ad laudandum prócliviores ſunt; præſens ac certum* Cl. Nominis *TUI præſidium labori meo quærendum fuit, quominus nomen meum,* TE *Patrono,* Zoilorum, *atque* Aristarchorum *noſtri aevi licentiæ, atque audaciæ permitteretur. De Cicuta enim agitur, cujus* TU *mirabiles vires, ab improborum hominum impetu vindicaſti; de Cicuta, inquam,*

quam, cujus in Medicina uſum, TE faventе, percarus Auditor quondam TUUS, Cæſareus *nunc* Archiater *ANTONIUS STÖRCK revocavit; ut, ſi quis me aggrediatur, & contra TE facere ſentiat, & patrocinium mihi TUUM non defuturum ſciat. Quare, qualiacunque hæc ſint, quæ a me proficiſcuntur, ut libenter accipias, rogo; in quibus, ſi quid peccavi (peccavi certe multa), ingenii mei tenuitati, ac tempori tribuas, atque ignoſcas, ut animus meus TUO patrocinio confirmatus, ea in dies conetur, quæ Nomine TUO utcumque digna, Lectoribus etiam fortaſſe meliora videantur. Vale.*

Neapoli Kal. *Auguſti* MDCCLXVII.

PRÆ-



PRÆLOQUIUM

SECUNDÆ EDITIONIS.



Istractis undique Commentarii hujusce mei exemplaribus omnibus, atque eorum, quibus morem gerere jusque, fasque est, auctoritate impulsus, novam editionem parare coactus sum, ubi Lectores paucis monitos volui.

Prior Commentarii hujus editio Præloquio caruit: intentus enim operi, scribendi rationem potius, aut operis partitionem spectavi, quam Lectorem libri initio detinere; cum præsertim nihil esset ad mentem, quod esset Lectori præcipiendum. De Cicuta agebam, cujus medicamentosa vis ubique Gentium vo-

ce, ac ſcriptis eſt celebrata. Itaque Horatianum illud ſuccurrebat;

Ornari res ipſa vetat, contenta doceri

Simpliciſſimo ergo uſus ordine, duas in partes quæ exponenda erant, diſtribui. Et in prima quidem ejus plantæ hiſtoriam ab Hippocrate ad hæc uſque tempora, qua potui diligentia, enarravi; in altera morbos quamplurimos Cicutæ vi oppreſſos expoſui.

Præter ſpem vero atque opinionem accidit, ut cum Exteri Celeberrimi Medici pro eorum erga me humanitate, non ſine plauſu quæ ſcripſeram excipere non ſunt dedignati, quemadmodum datis ad me literis ſignificarunt; quod & a Noſtratibus expectabam, qui ſi non laudare, ſilentio ſaltem labores meos probare debebant; præter ſpem, inquam, præterque expectationem evenit, ut Tullianum illud expertus didicerim: *Omnes immemores beneficiorum me oderunt* (*a*).

Non

(a) *De Offic. lib. 2.*

Non defuerunt quidem, qui mihi præſenti de edito Opuſculo gratularentur, abſentem vero conviciis proſcinderent, & ut PLAUTI verbis utar, *bene loquebantur lingua, male corde conſultabant* (*b*). Alii contra, quod mireris, qui & ipſi proſpero cum ſucceſſu Cicutam uſurpaverant, quemadmodum ipſimet renunciaverant mihi, eamdemque ut ſummum quotidie in Medicis Conſultationibus proponebant remedium; tamen, ut mihi detraherent, data occaſione, Cicutæ uſum damnabant, & riſu excipiendum libellum meum affirmabant, quod ſcilicet non remedia, ſed venena proponerem in medicina facienda.

Neque defuit pariter Medicaſter quidam, qui ſuum inventum Cicutæ extractum eſſe quamplurimis, Militum præſertim Tribunis, perſuadere voluit.

Ex iis, quæ hactenus enarravi, quiſque per ſe intelligere poteſt, quanta

 paſ-

(b) *Truculen. act. 2. ſcen. 1. verſ. 15, & 16.*

paſſus ſim convicia , quantaſque expertus injurias eo ipſo tempore, quo ſalutaris medicamenti renovato uſu , atque ex aſſidua illius effectuum contemplatione, conabar pro virili humano generi prodeſſe , ejuſque Plantæ hiſtoriam ex Priſcorum Medicorum lectione comparare, a nemine, quod ſciam, ad hæc uſque tempora deſcriptam: neque id alio ſane conſilio , quam ut Medicinæ Tyronibus notum eſſet, atque exploratum non heri, aut nudius tertius excogitatum , atque inventum Cicutæ uſum; verum ab ipſis Medicæ facultatis incunabulis cognitam Cicutæ vim contra morbos graviſſimos, & felici exitu comprobatam . Æquiores itaque rerum æſtimatores de me judicent , & dolori meo parcant (neque enim Ego iracundiæ ſerviam), an Concives mei Medici veritate , vel potius odio contra me abrepti egerint, ut quod alias ſæpius ſunt meditati , Me deprimerent . At obſtitere illis Boni omnes , nec veritatis hoſtes; obſtitere illis felices Cicutæ effectus , qui pro me fortiſſime pugnarunt.

Su-

Supereſt tandem, ut Me cum iis excuſem, qui nimium citationum numerum non probarunt. Qui de me male hac ſuper re ſenſerunt, illos rogatos volo, ut primo conſiderent, quod qui hiſtoriam de re aliqua ſcribit, libros debet varios legere, ex iis ad ſcopum omnia pertinentia decerpere, & in ordinem redigere. Secundo hiſtoricis in rebus, deque iis præcipue, quæ ab aliis adhuc non ſunt elaborata, fides oritur ex diverſorum Scriptorum dictis de eadem re agentium. Tertio oportet interdum varia Auctorum dicta, aliorum teſtimoniis refellere, vel comprobare, ut vera exurgat veritas ad res hujuſmodi magnopere neceſſaria. His igitur rite perpenſis quiſque videt, quibus permotus rationibus citationes quamplurimas iis in locis appoſui, quibus hiſtorice de Cicuta agebam, atque librorum ſimul editiones quas adhibui, ut omnia cuique liceat cum noſtra fide conferre. Appoſui etiam diverſis aliis locis alias, ne de ſuo quemque labore defraudarem: indignum enim eſſe ſemper duxi alio-

rum

rum opiniones ſibi vindicare, uti facile demonſtrare poſſem multorum ex libris, qui præcipua ex aliis exſcribunt, ſuppreſſo Auctoris nomine. Poſſem pariter Celeberrimorum Virorum operibus meum ſcribendi modum probare; at dicta ſufficiant.

Haud equidem inficior, non exacta omnia ab libellam, ut ajunt, in meo libro fuiſſe, multaque in eo deſideravi, quæ nova hac editione corrigere, atque emendare ſtudui, ubi & in prima Commentarii parte quamplurima alia Scriptorum teſtimonia addidi: in parte altera novas retuli Obſervationes; atque in tertia, quæ nunc primum prodit parte, varias apud varias Gentes inſtitutas obſervationes, ſigillatim enarravi: quibus & magis, ac magis ſaluberrimi hujus remedii confirmetur vis, & validiſſima opponantur *Anticicutariis* argumenta.

Accedit denique in calce libri *Epiſtolaris Diſſertatio* ante annos fere ſex conſcripta, & edita, qua Celeberrimo Viro *Gerardo* L. B. VAN SWIETEN truculentam, & univerſæ fere *Europæ* celebrem

Nea-

Neapolitanam epidemiam defcripfi. Facilis jacturæ, neque ingrati penitus argumenti libellum confervare volui, qui etfi aliis a doctiffimis cæteroquin Viris de eo morbo typis commiffis non eft comparandus; continet nihilominus ftrictim quas credidi efficientes caufas, & puram morbi hiftoriam ex bifcentum adverfariis concinnatam, juxta ægrorum lectulos confcriptis, tum candide & ea quæ nocere, quæque juvare obfervavi.

Neapoli Idibus *Decemb.* MDCCLXX.





DE CICUTA COMMENTARII

PARS I.



ICUTA Latine, Græce Κώνειον (*ſtultitia*), nomen apud *Græcos* ab affectu ſortita eſt, *quem* GALENO teſte, *ab ipſa potui data corpus pati cernimus* (1). Apud *Latinos* non una huic voci ſubjecta notio eſt. Cicuta enim, notante SERVIO, dicitur *ſpatium*, *quod eſt inter cannarum nodos* (2); at contra SCALIGER non *internodia*, verum *fruticem ipſum* ea voce notari contendit (3). Interdum & apud *Latinos* pro canna accipitur, ex qua paſtoralis fiſtula contexeretur, ut

A apud

(1) In libro, *quod animi vires corporis temperaturas ſequuntur* cap. 3. GALENI *libr. prim. claſſ.* pag. 318. *Venet. apud Juntas* MDXCVII.

(2) In expoſitione loci VIRGILII *Eclog.* II. *verſ.* 36.
Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula . . . .

(3) Vide VOSSII *etymol. ling. lat.* addition. MAZOCHII *tom. I.* pag. 183. *Neap. ex Reg. Typ.* MDCCLXII.

apud LUCRETIUM (4), aut pro ipsa fistula, ut apud CALPHURNIUM (5).

II. TRES autem plantarum species, uno, eodemque Cicutæ nomine Medici appellant, quas non recte Veteres distinxere. Ea vero, de qua hic agitur, *Cicuta major* est, *vulgaris*, seu *terrestris* dicta, a LINNÆO *Conium seminibus striatis* (6). Umbellifera planta est, quæ pingui-

(4) *De rer. natur.* lib. V., *vers.* 1381. pag. 464. edit. *Paris.* MDCLXXX.

Et Zephyri cava per calamorum sibila primum
Agrestes docuere cavas inflare cicutas.

(5) Apud R. STEPHANVM *thes. ling. latin.* tom. I. pag. 512. *Basileæ* MDCCXL.

(6) *System. natur.* tom. 2. *pag.* 956. *Holmiæ* 1759. Aliæ Cicutæ, quas lubens prætereo species, utpote nihil ad morbos inferius describendos deservientes, sunt, *Cicuta minor petroselino similis* C. B. P. 160. ab HALLERO in enumeratione Stirpium *Helvetiæ* 433 *Gottingæ* MDCCXLII, & a LINNEO *gen.* 317 *Æthusa* dicta; *Cicuta aquatica GESNERI*, sive *Sium pinnis laciniatis, pinnulis trifidis, nervo non folioso HALLERI*, in enumeratione stirpium *Helvetiæ* pag. 436, & *Cicuta umbellis folio oppositis, petiolis marginatis obtusis* LINNEI *spec.* 255. De hac ultima Cicutæ specie *Cel.* WEPFERVS *Basileae* anno MDCLXXIX eruditissimum librum edidit, & mira phenomena exposuit, quæ observata fuere *Martio* fere exeunte anno 1670 duobus in pueris, & sex puellis, ex esu radicis hujus Cicutæ, quam pro Pastinaca acceperant.

In prima, & altera Commentarii hujus editione cum BAUHINO, & TOURNEFORTIO quatuor adnotavi Cicutæ species, & secundo loco *Cicutam majorem foliis tenuioribus* posui. Fateor me illorum fide deceptum fuisse: nam serius in rem inquirens vidi inde BOERHAAVIUM, & LINNEVM illam non notasse speciem; & nuper ex lectione Commentarii de Cicuta Cl. Viri *Casimiri* GOMEZII ORTEGÆ *Matriti* editi anno MDCCLXIII *pag.* 8 plane didici *hujusmodi plantas quo juniores, humilioresque, & frigidiori in loco nascentes, eo etiam fœtidiores esse & acriores, foliaque habere tenuius* di-

guibus, umbrosis, humidisque crescit locis, secus fossas, viarum margines, & sepes. Ad binos, ad tres, & ultra cubitos interdum ascendit. Caulis *nonnullis subrubentibus veluti serpentum maculis respersus est* (7), glaber, levis, crassus; & quia fistulosus, scilicet intus vacuus, ut canna est, fortasse & ideo Cicuta pariter planta ista appellata fuit. Folia *alata*, *multifariam partita*, *glabra*, *atrovirentia*, *graveolentia* sunt (8), cavis appensa petiolis; & quo junior, & humilis est planta, & frigidiori in loco crescit, eo fœtidiora, & acriora sunt folia, & tenuius divisa (9). Radix dodrantalis est, *solida*, *cortice tenui flavescente*, *carne alba fungosa*, *odoris gravis*, *saporis subdulcis*, *quando caulem facit interius cava* (10). Floret apud nos mense *Majo*, *Junio*, *Julio* in frigidis regionibus. Ejus flosculi candidi sunt, rosacei, *quinque scilicet petalis constantes*, *cordiformibus*, *inæqualibus*, *in orbem positis*, *&* *calyci insidentibus*, *qui abit in fructum fere globosum ex duobus seminibus compositum exiguis*, Aniso similibus, aliquantulum vero candidioribus (11).

III. Distinctam vero nostræ Cicutæ descriptionem, ideo præmisimus, ne minus periti deciperentur: quamfrequentissime enim evenit, ut quo loco Cicuta crescit, eodem loco aliæ plantæ inveniantur, præcipueque *Myr-*

 rhis,

---

divisa. Atque hæc quidem foliorum varietas occasionem fortasse præbuit C. BAUHINO, et Cl. TOURNEFORTIO, ut unam eamdemque Cicutæ speciem in duas veluti dispescerent.

(7) Geoffroy *de mater. medic.* tom. 2 *de vegetabil. indige.* artic. Cicut. pag. 174 *Venet.* MDCCLVI.

(8) Geoffroy *loc. citat.*

(9) *Casimirus* Gomez Ortega *loc. supr. cit.*

(10) Geoffroy *loc. citat.*

(11) Tournefort *instit. rei herbar.* class. VII, gen. III *tom.* I. pag. 306 *Lugduni* MDCCXIX. Vide pariter *Diction. univers.* &c. par *Antoine* Furetiere second. edit. revue par *Monsf. Basnage* De Bauval *tom.* I artic. *Cigue* pag. 416 *a la Haye* 1702.

rhis, quæ Cicutæ quantum aſſimilatur, videri poteſt apud DODONEUM, qui exactam pinxit *Myrrhis* figuram (12), aut apud *Cel.* WEINMANNUM, ubi *Myrrhis* exſtat ad vivum effiсta (13). DIOSCORIDES (14), & PLINIUS (15) jamdiu antea hoc notaverant; & *Fabius* COLUMNA, qui abſolutum *minus cognitarum*, *rariorumque ſtirpium* librum compoſuit, diſtincte ſcripſit: *myrrhim Cicutæ ſimillimam eſſe omnibus ſui partibus, præter ſemen. Hanc in Villis ſecus viarum margines, & ſepes, atque maceries frequentem cum Cicuta, ut nonniſi peritus, & naribus experiatur, haud facile cauleſcentem dignoſcat, atque a Cicuta diſtinguat* (16). Habetur etiam *Chærophyllon temulum* Botanicorum, quod caulem, ut Cicuta major, maculatum habet, & pro Cicuta facillime accipitur, ut notat Doctiſs. *Henr. Jo: Nepom.* CRANTZ *Conſil. Aul.*, inſtitutionis, materiæque medicæ in *Vindobonenſi* Univerſitate Profeſs. (17). Qua de re Celeb. *Antonius* STÖRCK merito inculcavit, ut *dum quis dubitat, veram ne haberet Cicutam, is eam in calidiori ponat loco, dumque incipit flacceſcere, aut ſiccari, & vera eſt Cicuta, tunc ingratum murium domeſticorum fœtorem ſpargit; vel quod adhuc facilius, conterantur digitis herbæ folia, & intra pauca minuta ſenties digitos eodem fœtore affectos* (18).

IV.

(12) *Stirp. hiſtor.* pag. 689. *Antuerpiæ* MDLXX.
(13) *Phytanthoza iconografica* &c. tom. 3. num. 743. *Ratisbonæ* MDCCXLV.
(14) *Mater. medic.* lib. 4. cap. 116. *Baſileæ* MDCLXXIV.
(15) *Hiſtor. natur.* lib. 24. cap. XCVII. *tom.* 2. pag. 350. *Pariſiis* cum comm. HARDVINI MDCCXLI.
(16) *Min. cognit.*, *rarior. ſtirp.* cap. XXXIII. pag. 110. *Romæ* MDCXVI.
(17) *Mater. medic.*, & *chirurg.* &c. ſecund. edit. tom. III, pag. 58. *Lipſiæ* MDLCCLXV.
(18) *Libell.*, *quo continuantur exper.*, & *obſer. circa nova ſua medic.* cap. 2. pag. 9. & 10. *Vindobonæ* 1765.

IV. VETERUM quorumdam teſtimonio velut venenum Cicutam damnatam legimus, & pro publica poena reſervatam. NICANDER *Colophonenſis*, qui græco carmine venena plura ſui temporis deſcribit, recenſet inter ea Cicutam (19), & LUCRETIUS (20)

Quippe videre licet pingueſcere ſæpe Cicuta
Barbigeras pecudes, homini, quæ eſt acre venenum.

Athenis publice cuſtodiebatur ad ſontium pænas juxta *Joannem* TZETZE (21); & hac ex cauſa inviſa inde fuit ab omnibus, ut ſcribit GREVIN (22), *quæ mortem minimo doloris ſenſu inferebat temperata potui*, auctore *Bacone* DE VERULAMIO (23). Cicuta magnum SOCRATEM fecit, notante SENECA (24), qui, referente *Diogene* LAERTIO, *a Melito, Meliti filio Pithenſi accuſatus, Deos negaſſe, & nova Demonia induxiſſe, & corrupiſſe juvenes contra jus, & fas*, Cicutæ eſu a Magiſtratibus occiditur (25) anno *Olimpiadis* XCIV. I., aetatis anno LXX, ut

(19) NICANDRI *Alexifarmaca*, interp. *Io.* GORREO, *Pariſiis* 1622. Summus Poeta fuit NICANDER, & Medicus, qui, ſi quibuſdam fides danda eſt, floruit ſub PTOLOMEO *Phidalelpho*, ſive, ut alii volunt, ſub ATTALO *Galatonico*. Vide LE CLERC *Storia della medicina* tom. 2. part 2. lib. I. cap. VIII *pag.* 311. *Napoli* MDCCLXII.

(20) *De rer. natur.* lib. 5. verſ. 897. *pag.* 431. *Pariſiis* MDCLXXX. Claruit ante CHRISTUM ann. CV. Vide *Pop.* BLOUNT *cenſ. celeb. Auctor.* pag. 55. *Genevæ* MDCCX.

(21) *Chiliad.* 8. *hiſt.* 181., verſ. 238.

(22) *Deux livres des Venins par Jaques GREVIN* artic. *Cicue* pag. 221. *a Anvers* MDLXVIII.

(23) *Franciſc. Bacon. Baron. de VERULAM.* &c. oper. omn. &c. *Sylva ſylvarum ſive hiſtor. natur.* centur. VI. §. 643., pag. 882., *Francofur. ad Mœnum* MDCLXV.

(24) *Oper. omn.* part. I. *epiſt.* XIII. pag. 186. *Pariſiis* MDCVII. Claruit anno DOMINI LX. BLOUNT loc. cit. pag. 109.

(25) *De vita, & morib. Philoſoph.* lib. II, pag. III, & 112. *Lugduni* MDXCII.

ut monet *Cel.* BRUCKERUS (26).

V. VALERIUS MAXIMUS profectus in *Græciam* cum *Sexto* POMPEJO, in Insula *Cæa*, inque *Jusidis* oppido, servari *venenum Cicuta temperatum* pariter animadvertit: ibique *summæ dignitatis foemina*, *sed ultimæ jam senectutis*, *reddita ratione Civibus*, *cur excedere vita deberet*, *Cicuta mortem suam POMPEII præsentia clariorem fieri magis existimavit* (27): & *Massilienses* translata ex *Græcia* consuetudine *venenum illud* publice custodiebant, VALERIO quoque auctore, quod ei dabatur, *qui causas Senatui exhibebat*, *propter quas mors erat illi expetenda* (28). GALENUS homines refrigerare, & necare Cicutam, scribit (29): necare potantes eam, *gelidi more veneni*, Æmilius MACER (30): *caliginem mentisque alienationem*, *artuum gelationem*, *ultimoque præfocationem*, non ignobilis inter Latinos Medicus *Scribonius* LARGUS (31): caliginem, vertiginesque, *ut nec minimum videre liceat*; item singultus, mentis alienationem, artuumque perfrictionem: *ultimoque convulsi qui eam sumpserunt præfocantur*, *cessante a motu omni in arteriis spiritu*, ÆGINETA (32): *cicuta potata vertiginem*, *&* *caliginem oculorum inducit*, *adeo ut neque minimum cernere possint*; *singultum insuper*, *ac*

---

(26) *Histor. critic. Philos.* par. 2. lib. II. *cap.* 2. tom. I. *pag.* 553. *Lipsiæ* MDCCXLII.

(27) *Dictor. factorumq. memor. exempl.* lib. 2. cap. I. *pag.* 102. *Neapoli* MDCCXXVIII. Floruit *Valerius* MAXIMVS anno DOM. XXVII. BLOUNT loc. cit. pag. 99.

(28) Loc. cit.

(29) *Libr.* 5. *class. De simpl. medic. facult.* lib. 3. cap. 6. *pag.* 17. versa, & *cap.* 17. *pag.* 22.

(30) *De herbar. virtut. art.* Cicut. Vide *Coll. Medic. Antiq.*, *quam edidit* ALDUS *Venetiis* MDXLVII. *pag.* 144. vers.

(31) *De compos. medic. lib.* Comp. CLXXIX. Vide *Coll. Medic. Antiq.* cit. edit. *pag.* 152. vers.

(32) *Oper. omn. a Jo: Guinterio* ANDERNACO latin. convers. *lib.* VI. cap. XLII. *pag.* 355. *Venetiis* MDLXVII.

ac mentis perculſionem, & frigiditatem: ſequitur deinde ſuffocatio, & ſegnities, ac livor; poſtremum convulſi, ſpiritu in reſpiratione ſuppreſſo ſtrangulantur, AETIUS, (33) aliique quamplurimi ſimilia docuerunt, quorum nomina recenſere res eſſet permoleſti operis, & laboris.

VI. NON ſolum autem potu hauſtam Cicutam verum fuiſſe venenum, ſed exterius etiam applicatam multa, eaque inſanabilia afferre mala Medici Veteres crediderunt. Sic, ſi Veteres audias, mammis impoſita *lac extinguit, & mammas Virginum creſcere non patitur: ac puerorum teſtes nutrimento defectos ita reddit, ut intabeſcant; & teſtibus circumlita libidinum imaginationes in ſomno compeſcit*, quemadmodum ſcribit DIOSCORIDES (34). Mammas a virginitate ſucco Cicutæ illitas ſemper ſtare; & ſi teſtibus circa pubertatem illinatur, venerem extingui, tradit ANAXILAVS apud *Æmilium* MACRVM (35). MARCELLVS Eunuchum ſine ferro faciendum propoſuit, ſi radices Cicutæ ex aceto tererentur, & inde teſticuli frequenter illis illinerentur (36), additque, *hoc quantum tenerioribus infantibus feceris, eventu efficaciore proveniet*. Teſtatur quoque ORIGENES, apud *Athenienſes* fuiſſe *Hierophantam, qui cum viriles ſuas concupiſcentias continere, ac pro arbitrio domare poſſe non crederet, virilia membra Cicuta oblinebat* (37). Huc etiam ſpectat quod OVIDIUS de ſe ipſo ſcripſit (38)

Ta-

---

(33) *Oper.* interp. *Jani* CORNARII *Tetrabib.* 4. ſerm. 1. *cap.* LXIII. *pag.* 708. *Baſileæ* MDXLII.

(34) Lib. 4. cap. LXVII. *pag.* 331. *Francof.* 1549.

(35) *De herbarum virtutibus* art. Cicuta. Vide *Coll. Medicor. Antiq.* pag. 144. verſ.

(36) *In collect. Medicor. Antiq.* cap. 33. *pag.* 134. verſa.

(37) *Oper. omn.* &c. tom. 1. lib. VII. contra CELSUM pag. 729. *Pariſiis* MDCCXXXIII.

(38) *Amor.* lib. 3. eleg. VII. *verſ.* 13. *Oper. omn.* ex recenſione BURMANNI tom. 1. pag. 498. *Amſtelodami* MDCCXXVII.

Tacta tamen veluti gelida mea membra Cicuta,
Segnia propositum destituere suum.

VII. Enim vero, licet quorumdam Veterum Medicorum judicio, Cicuta potu hausta quasi venenum damnetur, & exterius quoque applicata multorum insanabilium malorum perhibeatur effectrix, nemo tamen homo, qui sanus, sit, statim conficiet, Cicutam venenum esse, eamque ut venenum revera Veteres omnes damnasse, quemadmodum affirmavit inter alios Cel. *Fridericus* Hoffmannus (39). Qui enim Veterum Medicorum scripta attente perlegerit, remque penitius introspiciat, longe aliter rem habere intelliget, sicut, ni fallor, apertissime inferius demonstrabo.

VIII. Huic autem praejudicio de venenata Cicutae indole, si Nicandrum (40), & Lvcretivm excipias (41), ansam fortasse dedit Socratis mors, qui ut paulo ante adnotavimus, ab *Atheniensibus* Cicutae esu occisus perhibetur; quod ut Veterum omnium judicio non probatur, ita falsum omnino, me saltem judice, esse potest. Certe Xenophon (42), Socratis auditor, dum Praeceptoris sui mortem describit, Κώνειον, *Cicutam*, quod notasse intererat, non memorat. Plato quo-

(39) *Medicin. ration. systemat.* tom. II. *part.* II. cap. II. §. XVII. *pag.* 106. *Venetiis* MDCDXXXII.

(40) Vid. loc. supr. §. IV. citat.

(41) Loc. supr. citat. §. IV. Sunt qui credunt Virgilium damnasse ut venenatam Cicutam, quando Ecloga IV. vers. 24. cecinit: *& fallax herba veneni occidet*; at Servius in hunc locum apposite notat de Cicuta non intellexisse, nam *omnibus nota est*, sed de illa *Sardoa*, quae *Apiastri* similitudine homines decipit, vel de *Aconito*, ut; *nec miseros fallunt Aconita legentes*. Vid. Virg. ex recens. *Pancrat.* Masvicii tom. I. pag. 41. *Venet.* MDXXXVI.

(42) Xenophont. oper. omn. Graec. Latin. *de fact.*, *& dict. SOCRATIS* lib. I. *pag.* 441., & lib. 4. *pag.* 514. *Basileae* MDLV. Claruit ante Chri. ann. CCCLXXXVII. Blov. *pag.* 24.

quoque Princeps ille, ut quidem CICERONI audit, ne dum auditorum SOCRATIS, ſed & Veterum Philoſophorum omnium, SOCRATI mortem attuliſſe, ſcribit, non Κώνειον, *Cicutam*, ſed φάρμακον, *Venenum* (cujuſcumque id demum fuerit generis) (43). Sed neque CICERO (44), nec OVIDIUS (45), nec MAXIMUS (46), qui de SOCRATIS morte ſcribunt, Cicuta necatum illum tradunt.

IX. QUOD hactenus expoſui Scriptorum de venenato Cicutæ ingenio præjudicium, id quidem uſque ad annum CHR. LVI excurrit, quo tempore *Aulus* PERSIUS omnium primus SOCRATEM Cicuta ſublatum ſcripſit (47), cujus

B

(43) Illius verba ſunt: *& egreſſus puer per aliquod tempus terendo veneno occupatus, adduxit illum, qui pharmacum ei exhibiturus erat, quod in poculo tritum afferebat* &c. PLAT. oper. omn. tom. I. *in Phedo*. pag. 117. edit. *Henrici* STHEPHANI ann. 1578. Vide pariter *cit. tom.* pag. 57. Claruit ante CHR. ann. CCCLXVI. BLOV. pag. 26. Id quod Latini *Venenum* appellarunt, Græci φάρμακον dixerunt; apud Græcos enim tam medicamenta, quam quæ nocent hoc nomine continentur. Vide CAIUM *l.* 4. *ad leg.* XII. *tabul.*

(44) *Oper. omn. cum delect. comm. in uſum* DELFINI tom. 2. *Tuſculan.* lib. I. pag. 337, 338. *Genevæ* MDCCXLIII. Poſtquam de THERAMENE ISOCRATIS Præceptore ſcribit, quod *conjectus in carcerem triginta juſſu Tyrannorum venenum ut ſitiens obduxiſſet, reliquum ſic e poculo ejecit, ut id reſonaret*, addit, *quod in eumdem carcerem paucis poſt annis ſcyphum Socrates* (bibit) *eodem ſcelere Judicum, quo Tyrannorum THERAMENES*. Floruit ante CHR. ann. LXVIII. BLOV. pag. 57.

(45) *Oper. omn. ſupr. cit.* tom. IV. *Ibis*, pag. 142., verſ. 561, 562. Claruit ante CHR. ann. VII. BLOV. pag. 85.

Sollicitoque bibas Anyti doctiſſimus olim
Imperturbato quod bibit ore reus.

(46) *Oper. cit. lib.* VII., *pag.* 434. Ejus verba ſunt: *Conſtanti vultu potionem veneni e manu Carnificis accepit.*

(47) *Satyr. lib.* ex recens. CASAUBONI, ISAACI Fil. *ſat.* IV. pag. 15. verſ. I., & 2. *Lugdun. Batavor.* MDCXCV. Claruit anno CHR. LVI. BLOV. pag. 105.

Rem populi tractas? barbatum hæc crede Magiſtrum
Dicere, ſorbitio tollit, quem dira Cicuta.

jus deinde vestigia cæco, ut ita dicam, animi impetu sequuti fuere SENECA (48), DIOSCORIDES (49), PLINIUS (50), MACER [51], JUVENALIS [52], ÆLIANUS [53], LAERTIUS [54], aliique ex Veteribus. Extat tamen Eruditissimus Auctor *Aulus* GELLIUS, qui ante ÆLIANUM, & LAERTIUM claruit, & SOCRATEM veneno, non Cicuta ne-

(48) Vid. loc. supr. §. IV. cit. Claruit, uti diximus ibi anno DOM. LX.

(49) Vid. loc. supr. §. VI. cit. Claruit anno DOM. LXIV. *Dizionario della medicina del Signor ELOY* in Ital. e Gall. conu. serm. cum addit. *Napoli* MDCCLXII. tom. 2. *pag.* 274.

(50) *Histor. natur.* cum comm. HARDUINI tom. 2. *lib.* 25, pag. 383. *cit. edit.* Claruit anno DOM. LXXV. BLOV. *pag.* 118. Ejus verba sunt: *Cicuta quoque venenum est, publica Atheniensium poena invisa* &c.

(51) Vide loc. supr. §. V. citat. Non constat quo tempore vixerit. Quibusdam probatur floruisse post PLINIUM, quem plerisque in locis laudat, ut apud JO: ATROCIANUM videre est in epistola ad Lectorem libro MACRI præfixa *oper. cit.* pag. 223. versa; *Daniel* vero LE CLERC dubiæ fidei opus esse putat, quod sub MACRI nomine habemus, *Storia della Medicina* par. 3. *lib.* I. cap. I. *pag.* 388. tom. 3. *Napoli* MDCCLXIII.

Publica poena reis hæc esse solebat Athenis.
Hac sumpta magnus SOCRATES fuit exanimatus.

(52) *Satyr. lib.* ex recen. CASAUBONI, ISAACI Fil. *Lug. Bat.* MDCXCV. *satyr.* VII. *vers.* 205. pag. 214.

. . . . & hunc inopem vidistis Athenæ,
Nil præter gelidas ausæ conferre Cicutas.

Et *satyr.* XIII. vers. 185. pag. 352.

. . . . . . dulcique Senex vicinus Hymetto,
Qui partem acceptæ sæva inter vincla Cicutæ
Accusatori nollet dare . . . . . .

Floruit anno CHR. XCV. BLOV. pag. 135.

(53) *De var. hist.* lib. XIV. e Græc. Latin. donat. a *Justo VVltejo* WETTERANO lib. I. cap. XVI. pag. 15. *Basileæ* MDXLVIII. Cit. cap. inscriptio est: *DE SOCRATE cum Cicutam biberet.* Vide pariter lib. 3. *cap.* XXXVI. pag. 83, ubi recensetur lex *Ceorum de senibus*. Floruit anno CHR. CXXIX. BLOV. pag. 153.

(54) Vid. loc. §. IV. *cit.* Claruit anno CHR. CXL. BLOV. pag. 158.

necatum fuisse scribit [55]. Fuerunt pariter, & Recentiores non incelebres quidam Scriptores, qui superiorum temporum, atque Auctorum præjudiciis decepti, eumdem tenuerunt errorem, uti videre est apud Doctiss. Virum *Jo:* CALVI *Cl.* Medicinæ Professorem in *Pisana Universitate* [56], quibus addere placet Celeb. *Joannem Jacobum* HOFFMANNUM, olim in *Basiliensi* Academia *Historiæ*, & *Græcæ* linguæ Professorem [57].

X. QUÆ huc usque de præjudicata Cicutæ opinione dixi, ea ex morte ab *Atheniensibus* PHOCIONI illata, pronum est confirmare. Hic in XENOPHONTIS, & PLATONIS schola eruditus, *prope ad annum octogesimum*, ut notat NEPOS [58], præclaris pluribus pro Patria gestis, proditionis postulatus, ad mortem damnatur, cum spectatissimis aliis Viris NICOCLE, THUDIPPO, HEGEMONE, & PYTHOCHLE anno *Olimpiadis* CXV, sive CCCXVIII annos ante CHRISTUM [59]. PLUTARCHUS, qui PHOCIONIS vitam annos centum quadraginta quatuor post NEPOTEM descripsit [60], distincte notat, Viris illis datum fuisse *tritum*, *poculoque infusum venenum* [61], simi-

(55) *Auli* GELLII *Noctes Atticæ* lib. XVII. cap. XXI. pag. 484. *Venetiis* MDXLIIII. Illius verba sunt: *SOCRATES Athenis capitis damnatus est, & in carcere veneno necatus*. Floruit ann. DOM. CXII. BLOV. pag. 146.

(56) *Della morte di SOCRATE* &c. pag. 18. *Pisa* MDCCXIII.

(57) *Lexicon Universale* &c. tom. 4. pag. 211. voce SOCRATES, *Lugduni Batavorum*. MDCXCVIII.

(58) *Cornel.* NEP. *oper.*, stud. *Andr.* SCHOTTI, PHOCION pag. 211. *Antuerpiæ*, & *Francofurti* MDCIX.

(59) Vide *Le grand Dictionnaire Historique* &c. par *M. Lovis* MORERI tom. 7. *art.* PHOCION pag. 150. *a Paris* MDCCXLVIII.

(60) *Cornelius* NEPOS claruit tempore *Julii* CAESARIS, ant CHR. ann. XL, & PLUTARCHUS sub TRAJANO anno CHR. CIV. Vide BLOV. pag. 71., & 143.

(61) PLUT. CHER. *oper.* &c. part. 2. PHOCION pag. 195. *Lugduni* 1552.

ſimile nempe venenum, iiſdemque verbis expreſſum, quod PLATO de SOCRATE ſcribens, memorat [62]. Immo addit PLUTARCHUS, cum defeciſſet venenum, ut PHOCIONI daretur, *Carnifex ſe aliud, niſi duodecim prius acceptis drachmis, daturum negabat; tanti enim unciam venire ajebat*, cumque PHOCION vidiſſet hominem *in propoſito ſtantem, ne morti fieret mora, ex Amicis unum advocans, quandoquidem, inquit, gratis emori Athenis non licet, huic quæſo pretium dato* [63]. Ex quibus omnibus manifeſto apparet, venenum illud non fuiſſe Cicutam, uti pariter paſſim apud multos de PHOCIONE legitur Scriptores. Solidum erat illud, nam tritum propinabatur: ad hæc duodecim ſtabat illius uncia drachmis, quod de Cicutæ uncia nequaquam dici poteſt. Quod ſi recens a SOCRATIS morte PHOCION cum laudatis aliis Viris ad mortem damnatur, eodemque, quo SOCRATES, veneno occiditur, & ex dictis patet PHOCIONEM nequaquam Cicutam necaſſe, quemadmodum ex veneni deſcriptione apud PLUTARCUM apertiſſime colligitur, liquido conſequitur, neque SOCRATEM Cicuta vitam amiſiſſe: & revera, ſi venenum SOCRATI oblatum, Cicuta fuiſſet, illud novies PLATO in *Phedone*, & in *SOCRATIS Apologia* non voce φάρμακον, ſed Κώνειον expreſſiſſet. Neque credendum eſt, vocem Κώνειον PLATONI ignotam fuiſſe; ipſe enim in *Dialogo Lyſis* [64] vocem Κώνειον uſurpat. Senſit aliquo modo horum argumentorum vim, quamvis aliud agens quatuor, & nonaginta retro annis *Cel.* WEPFERUS [65], & af-

(62) Vide not. 43. §. VIII. *pag.* 9.
(63) *Loco citato*.
(64) *Oper. omn.* tom. 2. pag. 219.
(65) *Cicutæ aquaticæ hiſtor.*, *&* *noxæ* cap. VI. *pag.* 60., & 61. cit. edit. Scripſit anno 1679. *Scaphuſii Helvetiæ*, uti apparet ex nuncupatoria epiſtola *Sereniſſ.* FRIDER. CAROL. *VVirtembergiæ*.

& affirmavit, *non extra omnem controversiæ aleam positum esse*, *venenum* SOCRATIS *Cicutam fuisse*, de quo etiam dubitare videtur *Alexander* ab ALEXANDRO; scribit enim *Athenis* publicam pænam frequentem esse, *Cicutam*, *aut Venenum* [66]: hinc *Antonius* GUAINERIUS, *Valerii* MAXIMI auctoritati confisus, [67] autumavit non fuisse simplicem Cicutæ succum, sed quodpiam compositum venenum [68], cui adstipulatur FORESTUS [69]; & *Stalpart* VAN DER VIEL variarum herbarum Cicutæ similium compositionem, cui Cicuta quoque admixta erat [70]; deinde rectius *Cel.* MEAD [71] *miscelam anodynorum succorum cum aliis corrosivis*, ut suadere videtur seria totius historiæ SOCRATIS a PLATONE descriptæ contemplatio, ut recte laudatus Vir animadvertit [72]. Nuper Cl. *Antonius* MATANI in *Pisana Universitate* P. Medicinæ Professor, SOCRATI artificialem, insolitamque compositionem Hellebori, Opii aliarumque rerum cum ipsa Cicuta, propinatam fuisse credidit [73]; & parum ab hac opinione distat *Casimirus* GOMEZ ORTEGA in Medica *Matritensi Academia* Naturalis Historiæ Professor [74].

§. XI. FRANCISCUS *Boissier* DE SAUVAGES in littera-

---

(66) *Genial. dier.* lib. III. *cap.* 5. *pag.* 292. *Lugduni* MDLXXXVI. cum notis TIRAQUELLII.

(67) Vide *pag.* 7., *not.* 25.

(68) *De venen.* cap. IX. apud WELSCHIUM *Hist. vit.* &c. decad. octav. cur. dec. *pag.* 531. *Augustæ Vindelicorum* MDCLXXVIII.

(69) *Observat.*, *&* *cur. medic.* &c. lib. XXX. *de venen.* obs. 10. tom. 3. *pag.* 35. *Francof.* MDCXIV.

(70) *Obser. Medic.* tom. I.

(71) *Oper. Medic.* &c. *Expos. mechan. venenor.* tentam. IV. *de plant. venenat pag.* 147. *Neapoli* MDCCLII.

(72) *Loc. citat.*

(73) *De remediis tract.* &c. §. LIII. pag. 49. *Pisis* MDCCLXIX.

(74) *De Cicuta Commentar.* cap. I. *pag.* 2. cit. edit.

terario orbe Celeberrimus, & *Monspelliensis* olim *Universitatis* ornamentum, quia viderat Cicutæ extractum innoxie interne dari, in diversam abiit sententiam, & Venenum quo SOCRATES extinctus fuit, non Cicutæ majoris succum fuisse credidit, sed *Aquaticæ* GESNERI [75]. At pace tanti Viri, ex cujus scriptis me multa didicisse gratus recordor, suam hanc opinionem nullo non solum innititur fundamento, verum naturali historiæ non respondet: nam uti supra notavimus [76] Veteres diversas non distinxere Cicutæ species, posterioribusque tantum temporibus natæ sunt; & juxta varia plantarum excogitata systemata, diversa illis dedere nomina. Sic e. g. [77) LINNEVS Cicutam majorem vocavit *Conion seminibus striatis*; contra vero *Aquaticam* GESNERI *Cicutam* appellavit; & Celeb., Doctissimusque HALLER vulgarem sive maiorem Cicutam, de qua hic sermo est, *Cicutam* simpliciter dixit [78], *Aquaticam* inde GESNERI *Sium pinnis laciniatis* &c.

XII. EJUS autem præjudicii de lethali Cicutæ vi ad nostra usque tempora falsitas clarius apparebit, si consideremus, spectatissimæ fidei, & summum Medicinæ Parentem HIPPOCRATEM, qui *Coo* prope ab *Athenis* medicinam faciebat eo tempore, quo SOCRATES ad mortem damnatus fuit, Cicuta summopere ab ipso laudata interne, & externe ad morbos depellendos, fuisse usum; aliosque quamplurimos Veteres Medicos, qui de Cicuta, veluti de veneno, scripserunt, nil sibi constantes, ut præsentissimum adversus morbos præsidium commendasse.

XIII. HIPPOCRATES inter multa remedia, quæ commen-

(75) *Nosologia methodica* clas. VIII. *ord.*. 3. tom. 2. pag. 244. *Amstelodami* MDCCLXVIII.

(76) Vide §. 2.

(77) Vide §. 2.

(78) *Enumer. stirp. Helvet.* pag. 434. cit. edit. Vide §. 2. not. *6. pag.* 2.

mendat, quando *uteri ad lumbos incubuerint*, scripsit: *Cicutæ quantum tribus digitis capitur, ex aqua bibendum dato* [79]; & alibi suffitus varios ad fluorem muliebrem describens: *aut Cicutam, aut myrrham, aut thus affuso unguento suffito* [80]; inde paulo inferius: *si fluorem exiccare opus sit, hyosciami folia, & Cicutam simul coquito, deinde tepida ad pudenda apponito* [81]; alioque in loco de iis agens, quæ genituram excipere non possunt, per novem dies suffitus laudat foliorum Cicutæ (82); & ad ani procidentiam *Cicutæ semen vino albo odorato affuso tritum, dein tepidum ex cataplasmate impositum* commendat (83). DIOSCORIDES, qui, uti ex superius dictis patet, damna multa ex Cicuta oriri affirmavit; tamen in collyriis, quæ dolorem minuunt, admisceri refert, *& ignes sacros, & ulcera, quæ serpunt, illitu extinguere* [84]. CELSUS Cicutæ semen inter remedia emollientia ponit [85], & numerat in confectione malagmatis adversus calidas podagras (86); ad umbilicum prominentem super affectum locum cataplasma ex Cicuta, fuligine, cerussa, &c. laudat [87]; in lippitudine oculorum fotus ex Cicutæ foliis, & aliis commendat (88); & in catapotium ad inducendum somnum, *quem vulva do-*

(79) *Oper. omn.* interp. FOESII. *De natur. muliebr.* tom. 1. sect. v. *pag.* 572. n. 30. *Genevæ* MDCLVII.
(80) Sect. v. *de morb. mulier.* lib. 2. *tom.* 1, *pag.* 668. n. 40.
(81) Loc. citat. *pag.* 669. n. 10.
(82) Sect. v. libr. *de his, quæ utero non gerunt* tom. 1. *pag.* 681. *n.* 4.
(83) Sect. VI. libr. *de Fistulis* in fin. *tom.* 1. *pag.* 890.
(84) *Lib.* 4. *cap.* LXVII. *pag.* 331. cit. edit.
(85) *Corn.* CELSUS *de medic.* lib. v. cap. XV. *pag.* 247. edit. quam curavit *Car. Christ.* KRAUSE, *Lipsiæ* MDCCLXVI.
(86) *Lib. cit.* cap. XVIII. *pag.* 250.
(87) *Lib.* 6. cap. XVII. *pag.* 392.
(88) *Lib. cit.* cap. 6. *pag.* 349.

dolens prohibuit inter alia, Cicutæ ſemen admiſceri ſuadet [89]. GALENUS ſcribit, HERACLIDEM *Tarentinum* rotulas confeciſſe vino hauriendas contra *omnes venenatæ feræ morſus, doloreſque vehementiſſimos, & uteri ſtrangulationes* ex Cicutæ ſucco, alterci, caſtoreo, pipere albo, coſto, myrrha, & opio [90]; ad deſtillationem, & vocem interceptam pharmacon ex opio, myrrha, & ſemine hyoſciami, ſingulis in Cicutæ decocto maceratis, & in catapotia redactis (91); ad tuſſim catapotia ex Cicutæ ſemine, & aliis [92]; ad ſanguinis rejectationem Cicutæ ſemen cum multis aliis, jejunis ex aqua datum [93]; ad Hæmoptoicos pharmacon cum Cicutæ ſemine (94); in confectione doloris ſedativa ad tabeſcentes, & ſanguinem rejicientes Cicutæ ſemen [95]; & Cicutæ ſemina *maxime quidem iis, qui a tuſſi, aut alias lancinantur apta eſſe, & omnibus quomodocumque ſanguinem rejicientibus convenire* tandem docet [96]. *Exiguum* quiddam (*Cicutæ*) *ſumptum mortem homini nequaquam inferre* alibi notat [97]; & uti aliunde diximus, apud ipſum pariter legitur de Anu *Athenienſi*, quæ permagnam Cicutæ copiam impune comedebat (98). HORATIUS

(89) *Lib.* 5. cap. XXV. *pag.* 279.

(90) GALEN. lib. 5. claſſ. *De antidot.* lib. 2. cap. 13. *pag.* 117. verſ. citat. edit. *Alterci* ſuccus, ideſt *hyoſciami*; nam quem Græci *hyoſciamum* dicunt, Latini *Apollinarem* herbam & *Altercum* nuncupant.

(91) *Claſſ.* 5. *De comp. medic. ſecund. loc.* lib. VII. *pag.* 182.

(92) Loc. cit. *pag.* 183.

(93) Loc. cit. *pag.* 183.

(94) Loc. cit. *pag.* 184.

(95) Loc. cit. *pag.* 185.

(96) Loc. cit. *pag.* 184.

(97) *Claſſ.* 5. *de ſimpl. medic. facult.* lib. 3. cap. 18. *pag.* 22.

(98) *Loc. cit.* Vide pariter quæ ſcripſi in comm. *de opii vi, atque actione in corpus humanum* part. 1. §. IV. *pag.* 17. *Nea-*

TIUS de Cicuta, ut remedio, loquitur (99)

. . . . sed quod non desit habentem
Quæ poterunt unquam satis expurgare Cicutæ,
Ni melius dormire putem, quam scribere versus?

& *Aulus* PERSIUS de Cicuta pariter, ut remedio ad bilem temperandam scribit, quamvis alibi, uti superius adnotavimus, scripsisset, ea SOCRATEM occisum fuisse (100)

. . . . calido sub pectore mascula bilis
Intumuit, quam non extinxerit urna Cicutæ.

Cicutæ caules aceto maceratos impune comedi PLINIUS auctor est (1); etsi illam *venenum publica Atheniensium pœna invisum* appellaverit (2). Cicutam cum axungia dolores, & tumores tollere, apud ipsum pariter habetur (3), & Cicutæ foliis igni sacro mederi (4). Cicutam cum siligine mero mixtam sanare ulcera tetra (5), & Podagras refrigerare cum lithargyro, aut axungia, ipse etiam testatur (6). Cicutæ succo fieri ad refrigerandum stomachum malagma, circumlitum sedare oculorum dolores, rheumatismos omnes cohibere, foliaque tumorem omnem, doloremque, & epiphoras sedare, eodem pariter docemur (7). Similia tum ab *Æmilio* MACRO (8),

C tum

Neapoli MDCCLXIII. Refert. WELSCHIUS *oper. cit. loc. cit.* quod idem in muliere alia effecit etiam *Nicolaus* FONTANUS.

(99) *Epistol.* lib. 2., *epistol.* 2. ad *Julium* FLORUM vers. 52, edit. *Patavinæ* cum notis *Jo:* BOND ann. MDCCXLVII, *pag.* 394.

(100) *Satyr.* lib., *satyr.* V. ad *Anneum* CORNUTUM, cujus fuit Auditor, vers. 144. *pag.* 21. cit. edit. Vide pariter §. IX. not. 36.

(1) *Histor. natur.* tom. 2. lib. 25, sect. 13.

(2) Confer hic. not. 46. §. IX.

(3) Lib. 26. *sect.* LXXV. tom. 2. *pag.* 409.

(4) *Loc. cit. sect.* LXXIV.

(5) *Loc. cit. sect.* LXXXVII. tom. 2. *pag.* 413.

(6) *Loc. cit. sect.* LXIV. tom. 2. *pag.* 406.

(7) *Libr.* 25. *sect.* XCV. *pag.* 383.

(8) *Loc.* §. VI. *citat.*

tum deinde a *Pyrrho* PEROTTO recensentur (9). MARCELLUS *Burdigalensis* describit malagma ad podagram efficacissimum, cujus compositione Cicutæ radices adhibentur (10). *Paulus* AEGINETA (11) ad defluxionis impetum, qui *epiphora* Græcis dicitur *citra inflammationem*, *vel etiam cum inflammatione*, *sed ita*, *ut supra os calvariæ affectus consistat*, præter alia, Cicutam laudat cum aqua in fronte applicatam (12); & ad confirmandam quoque vitalem potius Cicutæ vim, huc spectare videntur, quæ S. HIERONYMUS habet de *Hierophantis Atheniensibus*, qui Cicutæ sorbitione impune se castrari credebant (13), ut postquam ad Pontificatum fuissent evecti, viri esse desinerent.

XIV. IN magnam molem excresceret liber, si quamplurima alia testimonia recensere hic vellem, quæ magis confirmarent, Veteres Medicos, & Scriptores, qui Cicuta, velut veneno, abstinuerunt, eamdem ad teterrimos morbos profligandos adhibuisse. Atque hæc de superioribus temporibus dicta sint satis. Ad Medicos recentiorum temporum gradum facimus, qui Cicutam, ut summum remedium commendarunt, & felici eventu interne usurparunt.

XV.

(9) *Comm. ling. Latin. pag.* 194. n. 20. ad 30. *edit.* ALDI MDXXXVII.

(10) *Lib. de Medic.* cap. XXXVI. *Medic. Antiq. pag.* 138. vers. Claruit GRATIANI, & THEODOSII Magni Impp. aetate, uti eruitur ex epistola nuncupatoria *Jani* CORNARII ejus operi præfixa anno MDXXXV, & ex epistola ejusdem MARCELLI filiis suis. Vide *pag.* 81 & 83. cit. libr.

(11) Quo tempore floruit non bene constat. Extat MOREAU, qui illum vixisse autumat circa annum 380; alii sub ONORIO, & THEODOSIO Juniori. FREINDIVS seculo septimo, et HERBELOT sub Imp. ERACLIO. Vide ELOY *oper. cit.* tom. V, voce *Paulus* ÆGINAE *pag.* 22. cit. edit.

(12) *Oper. cit.* lib. III. cap. XXII. *pag.* 147. cit. edit.

(13) *Oper. omn.* tom. 2. lib. I. advers. JOVINIANUM, in fin. *pag.* 320. *Veronæ* MDCCXXXV. Claruit anno CHR. CCCLXXVIII. BLOV. *pag.* 252.

XV. *Petrus* SPANUS, *Hispanus* dictus, Cel. XIII seculi Medicus, Episcopus inde, & Summus tandem creatus PONTIFEX, ad curandam epilepsiam Cicutæ decoctionem commendavit (14). *Paulus* RENEAUME *Gallus* in hepatis, pancreatisque scirrhis, testatur, prospero successu dedisse drachmam semis Cicutæ pulveris in vino, aucta in diem dosi usque ad drachmas duas (15). Unciam mediam dedit PETIVERIUS: absque noxa integras quatuor devoravit uncias HENLEY, & alia hujusmodi exempla apud MILLER extant (16). *Pulvis radicum Cicutæ ad grana viginti in febribus malignis, vel quartana ante paroxysmum exhibitus*, summopere prodex BOWLE (17): quem pulverem omnibus antecellere diaphoreticis expertus fuit Cel. *Anglus* Medicus *Joannes* RAJUS (18); & *Christianus Gottfredus* STENTZEL refert, se Medicum novisse, qui sæpe prospero eventu Cicutæ extractum in hydrope usurpabat (19). In furore uterino internum Cicutæ usum suadet *Hieronymus* MERCURIALIS (20). Historia extat apud *Georgium Hieronymum* WELSCHIUM persanati tumoris venerei cancrosi virilis membri Illustri in Viro, qui Chirurgi *Galli* consilio, præter varia ex-

(14) *Tesoro de Poveri compilato, e fatto per Maestro* Pietro SPANO. Vide CALVI *della morte di* SOCRATE *pag.* 33. *Lusitanus* erat SPANUS, Civisque *Ulyssiponensis*: Episcopus ordinatus fuit, inde anno 1276 Summus PONTIFEX nomine JOANNIS XXI. Vide pariter COCCHI *dei Bagni di Pisa* cap. 3. *not.* (1), *pag.* 109. *Firenze* MDCCL.

(15) *Encyclopedie, ou dictionnaire Raisonné des sciences* &c. tom. 3. art. *Cigue*, *pag.* 373. *a Lucques* MDCCLIX.

(16) Apud CRANTZ *oper. cit.* tom. 3. *pag.* 59.

(17) Apud *Jo:* RAJUM *hist. plant.* lib. IX. *de herbis umbelliferis* cap. VIII. tom. 1. *pag.* 451. *Londini* MDCXCIII.

(18) Loc. cit., *pag.* cit., tom. cit.

(19) *De Anodynorum virtutibus venenorum* &c. §. 23. *pag.* 32 *Vittembergæ* MDCCXXXV.

(20) *De morb. Muliebr.* lib. IV. cap. 10. *Venetiis* 1601.

terne applicata, bibebat quotidie poculum, quo magna Cicutæ quantitas incocta erat (21). Hepatis obstructionem quemdam curasse, refert *Michael* ETMULLERUS propinato pulvere radicis Cicutæ a drachma semis ad scrupulos duos, additque *quod decoquitur etiam, & decoctum adhibetur* (22).

XVI. FUERE quidem, qui Cicutam pariter externe non sine felici exitu usurparunt. Ad lienis duritiem emplastrum de Cicuta commendat RHODIUS, illiusque auctorem HEURNIUM fuisse notat (23), quo referente WELSCHIO *Jo: Assuerus* AMPSINGIUS, aliique arcani loco interdum utebantur (24). *In contumacibus scirrhis omne punctum ferre emplastrum de Cicuta*, HARTHMANNUS scribit (25), & summopere alio in loco celebrat illud in scirrho inveterato lienis (26). Cicutæ *succum emplastro splenico incoctum extrinsecus adhiberi* auctor est SCHRODERUS (27). *Extrinsecus Cicutam usurpatam anodynam esse; tumores duros, & ganglia potenter discutere in cataplasmatis, vel in emplastro de Cicuta cum Ammoniaco*, Cl. NEEDHAM (28). *Cicuta extrinsecus corpori applicata dolorem stupefacit*, STERREBEKE apud Abrahamum KAAV BOERHAAVE, Magni Viri ex Sorore Nepo-

(21) *Libr. citat.*, loc. cit. *pag.* 525. Decocti formula erat R. *Rasur. Lign. Guaiac. lib. semis, Sarsæparillæ unc. tres, Cicutæ manipulum unum. Coque in aquæ mensuras tres ad consumptionem tertiæ partis.*

(22) *Oper. omn.* &c. *Colleg. Pract.* part. I. cap. XII. *pag.* 232. *Venetiis* MDCXCV.

(23) RHOD. *exercit. in libr.* Scribonii LARGI *de comp. medic.* not. *ad compos.* 179.

(24) *Histor. vit.* &c. decad. octav. cur. decim *pag.* 531.

(25) *Praxis Chymiatrica* &c. cap. CLXXIV, *pag.* 271. *Genevæ* MDCLXXXII.

(26) *Oper. cit.* cap. CLXXX, *pag.* 280.

(27) Apud RAJUM loc. §. superiori cit.

(28) Apud RAJUM loc. cit.

potem (28*). In mammarum ſcirrhis unguentum de Cicuta HILDANI *Michael* ETMULLERUS [29], qui inter fortiora remedia in ſcirrho laudat potiſſimum cataplaſma de Cicuta [30]; tum *in cancro occulto palliative conſervando ne exulcerentur* idem cataplaſma, et potenter mitigare cancrum affirmat [31]. Cicutæ decoctum vino rubro factum cum pervinca, & myrrha, mammarum magnam cohibere increſcentiam Cel. VENETTE [32]. Cicutam aqua florum ſambuci incoctam cum camphora, ad lienis ex nimia venere inflammationem *Henricus ab* HEER [33]. Foliorum Cicutæ cataplaſmata quatuor cum farinis reſolventibus in teſticulorum inflammatione, doloribuſque podagricis, iſchiadiciſque *Stephanus Franciſcus* GEOFFROY [34]. *In emolliendis* tumoribus tam lienis, & hepatis, quam *etiam partium externarum duris, nempe ſcirrhoſis, ſtrumoſis, grumoſis, folia, & radices potiſſimum quocumque modo applicata*, laudatus Scriptor [35]. Inter externa medicamenta reſolventia in ſcirrhis emplaſtrum de Cicuta *Lauren-*

(28*) *Impetum faciens dictum* HIPPOCRATIS &c. cap. 10, §. 443, *pag.* 416. *Lugduni Batavorum* 1745.

(29) *Oper. omn.* &c. *Colleg. pract. ſpecial. de morb. viror. mulier.*, *& infan.* cap. X, *pag.* 592.

(30) *Oper. omn.* &c. *Chirurgia medica*, artic. *Scirrhus pag.* 621.

(31) *Oper. omn.* &c. *Chirurgia medica*, artic. *Cancer pag.* 623.

(32) *La Generation de l' Homme, ou tableau de l' amour Conjugal* &c. tom. 1. part. 2. chap. 2. *pag.* 149. *a Londres* MDCCLI.

(33) *Obſervat. medic. oppido rarar.* &c. obſ. VIII, *pag.* 85. *Lugduni Batavorum* 1645.

(34) *Mater. medic.* part. 2. *de vegetabil. indig.* art. *Cicuta*, *pag.* 176. cit. edit.

(35) Loc. cit.

rentius HEISTERUS [36]. Cicutæ emplaſtrum ſpecificum remedium in lienis etiam ſcirrhoſis obſtructionibus, frigidorumque tumorum efficax reſolvens *Joannes Baptiſta* CAPPELLO [37]; merito itaque inter remedia Cicutam numeravit Cl. Vir *Antonius* MATANI in nupero edito de remediis libro [38].

XVII. Ex iis, quæ hactenus enarravimus, colligitur 1. fuiſſe uſque ad annum CHR. LVI Medicos, alioſque Scriptores, qui non ſolum Cicutam, velut venenum, non habuerunt, ſed etiam eam interne uſurparunt, aut de ea, ut remedio, ſcripſerunt [39]; ac proinde haud recto ſtare talo, quod anno MDCCLXII Cl. ceteroquin Auctor ſcripſit, *ejus* (Cicutæ) *uſum internum haud unquam Veteres admiſiſſe*: 2. ab anno CHR. LVI invaluiſſe inter Scriptores opinionem (excepto *Aulo* GELLIO [40]) de venenata Cicutæ vi, credulæ inde poſteritati tranſmiſſam (41): 3. qui Cicutam ut venenum damnarunt, illos pariter interne adhibuiſſe [42]: 4. proximioribus temporibus extitiſſe Medicos, qui ſpreta Antiquorum auctoritate, deſperatiſſimis multis in morbis illius internum uſum proſpero cum ſucceſſu laudarunt [43]: 5. demum, magnopere Vetuſtos Medicos externas Cicutæ vires celebraſſe, quamplurimoſque inde Recentiores Celeberrimos [44]. Quæ cum ita ſint, ſummo-

(36) *Inſt. chirurg.* part. 1. *lib.* IV, cap. XVI *de ſcirrho* §. VII. *tom.* I, *pag.* 251. *Neapoli* MDCCXLIX.
(37) *Leſſico Farmaceutico-Chimico pag.* 77. *in Napoli* MDCCLXI.
(38) lib. cit. loc. cit. *pag.* cit.
(39) Vide §. XIII.
(40) Vide §. IX.
(41) Vide §. IX.
(42) Vide §. XIII.
(43) Vide §. XV.
(44) Vide §. XIII., & XV.

mopere miror, *Eruditissimum*, & in Veterum lectione peritum, perque varia diversi argumenti doctissima edita scripta *Celeberrimum* Medicum *Danielem Wilhelmum* TRILLER nuper scripsisse *de Diva illa*, *seu rectius dira Cicuta alias atrocissimum*, *ac pestilentissimum venenum fieri omnium fere morborum hucusque insanabilium panacea* [45].

XVIII. ANNO MDCCXLVI *Gerardus* L. B. VAN SWIETEN, Vir varia eruditione conspicuus, & cuius præmaturam mortem delemus omnes [46], ut Medicum emen-

(45) *Opuscul. medic.*, *ac medic. philolog.* vol. I. *praef. pag.* XVI. *Francofurti*, & *Lipsiæ*, MDCCLXVI. Vide pariter *dispensat. pharmac.* tom. I. *Regn. vegetab.* cap. 2. *de herbis pag.* 105. *Francof. ad Mœnum* MDCCLXIV.

(46) *Gerardus* VAN SWIETEN natus est *Lugduni Batavorum* die septima *Maii* anno MDCC, ex nobili genere, affinitatibus quoque claro. Adhuc impubes Parentibus orbatus, a Tutoribus decimo quarto aetatis suæ anno *Lovanium*, claram *Brabantiæ* Civitatem, missus est, ut philosophiæ studiis operam navaret in Celeberrima illa Academia; qua in scientia ita excelluit, ut post biennium in parvum *primæ lineæ* Auditorum numerum fuerit cooptatus. Cum eius animus ad Medicinam deflecteret, *Lugdunum Batavorum* rediit, ibique sub magno BOERHAAVIO illam addiscere cæpit. Vigesimo quinto aetatis anno in Medicinæ Doctorum numerum adscriptus fuit; attamen persequutus est BOERHAAVIUM, & viginti per annos publicis, privatisque eius prælectionibus interfuit. In Patriæ Academia Medicinam inde docuit, magna Auditorum frequentia, ac magna celebritate famæ; quapropter ex *Germania*, ac ex *Anglia* frequentissimi Auditores *Lugduni Batavorum* confluebant, ut a tanto Præceptore Medicinam addiscerent: verum quia non minus periculum ex magna fama, quam ex mala; invidia hinc moti Sodales exclamare cæperunt apud *Belgii foederati* Curatores: non licere Catholicum Virum in Academia illa publici Professoris munere fungi. Contra has iniustas accusationes ne verbum quidem protulit *Gerardus*, sed abdicato publice decendi onere, totum se dedit ad scribendos sapientissimos, & omnigena eruditione refertos com-

emendaret studium in Antiquissima *Viennensi Universitate*, utque Juvenes in veris, salutaribusque Medicinæ prin-

---

commentarios in aphorismos Præceptoris sui BOERHAAVII *de curandis*, *&* *cognoscendis morbis*, ab ipsomet BOERHAAVIO ad id aptus existimatus, ut notat HALLER in epistola ad *Paulum Theophilum* WERLHOF præfixa *prælectionibus* laudati BOERHAAVII ab ipso editis. Primum commentariorum volumen in lucem prodiit *Lugduni Batavorum* anno MDCCXLII, quarto a BOERHAAVII obitu, alter anno MDCCXLV, postremum anno MDCCLXXII, paucis ante mortem diebus. Cum magis, ac magis eius nomen apud omnes Gentes inclaruisset, a Sapientissima *Imperatrice* MARIA THERESIA anno MDCCXLV *Vindobonam* vocatus est, ut Suæ valetudinis, *Imperatoris*, *Augustæque Familiæ* curam gereret, & *Archiatrorum Comes*, *Consiliarius Aulicus*, *Liber Baro*, *Augustalis Bibliothecæ Præfectus* declaratus, deinde *Facultatis Medicæ*, *&* *Collegii censuræ Librorum Præses*. Ut serio Medicum ibi emendaret studium, anno MDCCXLVI publice ipse docuit *methodum discendi medicinam*, tum & *Medicas* BOERHAAVII *Institutiones*. Postea aliis, iisque gravioribus distractus curis, & ad HIPPOCRATICAM simplicitatem ut reduceretur tandem Medicina, annuente *Augustissima*, vocavit ex *Hollandia* Cl. *Antonium* DE HAEN ex BOERHAAVII pariter schola, quod Tyronibus theoretice, & practice HIPPOCRATICAM doctrinam publice doceret, & iisdem inde ad ægrorum lectos practice demonstraret; unde & Practicum extructum fuit Nosocomium. Chirurgiæ partes omnes ornavit. A Magnanima *Imperatrice* consequutus est, ut amplum anathomicum Theatrum cum quamplurimis, selectissimisque instrumentis, & continua cadaverum copia extrueretur; ut obstetriciæ Cathedra institueretur cum severissima lege, non licere inposterum Mulierem ullam obstetricem facere, nisi prius perfecte in arte edocta esset; ut Cathedra Chemiæ cum Laboratorio constitueretur; ut Viridarium indigenarum, exoticarumque plantarum dives fundaretur; ut ampla denique Augustalis, & toto terrarum Orbe Celeberrima Bibliotheca diebus singulis omnibus pateret; tam mira itaque in illa præstitit Universitate, ut cum Europæ clarioribus nunc æmuletur. Urbana, & Militaria Nosocomia emendavit; & pro eorum, omniumque levamine medicamenta moderavit. Perlas, Benzoar, Gemmas, omnia deni-

principiis instituereet, aperuit ipse veram Medicinæ faciendæ methodum; deinde medicas BOERHAAVII Institu-
D tio-

denique prætiosiora, & inutilia medicamenta exulare iussit. Stillatitias aquas, syrupos, in parvum redegit numerum; & quia viderat amygdalarum dulcium oleum facillime corrumpi, a Nosocomiis, Militaribus præcipue, expunxit, & olivarum, vel lini substituit: Pharmacopolarum officinarum visitationes, quæ prius ob nimiam indulgentiam statuto die, & hora agebantur, in ordinem, debita, & necessaria pro publico bono severitate, redegit; & arcam, ex qua Medicæ Facultatis Viduis subveniretur, condidit, promovit, tutatus est: quadere *Augustissimi* anno MDCCLXIII in publico Facultatis auditorio Effigiem cum elogio appendi iusserunt

FRANCISCUS I Et MARIA THERESIA Augg.
Hanc Effigiem
Gerardi L. B. Van Swieten
Ob Studium Medicum Ab Ipso
Feliciter Emendatum
In Auditorio Huius Facultatis Publico
Appendi Iusserunt
Die XXX Decemb. MDCCLXIII.

Anno ab Imperio IOSEPHI II Romanorum Imperatoris II, ob servatam ab ipso artis ope *Augustam Matrem* a diro confluentium variolarum morbo, inter *Commendatores* Regii Ordinis D. STEPHANI adscriptus fuit, quæ dignitas inde post eius mortem Filio suo primogenito, Caesareo apud *Borussiæ* Regem Legato, translata fuit.

Studiorum *Vindobonensis* Universitatis Rectore Caesareo Archiatro STORCK anno MDCCLXIX Benefica *Augustissima* in salutaris artis Collegio Sigillum cum titulo apponi voluit.

Gerardi L. B. Van Swieten
Archiatr. Sacri Palatii Comitis
Regii Ordinis D. S. Stephani Commendatoris
Coll. Censuræ Libror. Reiq. Medicæ
Praesidis
Augustalis Bibliothecæ Praefecti
Ob
Procuratam Scientiarum Artiumque
Instaurationem

Ob

tiones publice tradens, & de Venenis agens, sæpissime Auditoribus inculcabat, ut sedulo venenatarum plantarum,

---

Ob Patriæ Matrem Augustamque
Familiam
Ab Ipso Artis Ope Servatam
De Universa Re Austriæ Publica
Optime Meriti Effigiem
In Exemplum Quod Posteri Imitentur
Posuit
MARIA THERESIA Augusta
Inque Salutaris Artis Collegio
Eius Consiliis Sapienter Constituto
Illustratoque Collocari Iussit
CIↃIↃCCLXIX
Anto. Storck Vindob. Studior. Univers.
Rectore

Tandem summis laboribus, & senectute confectus Vir summus, ad unguem factus, pius, ad miraculum integer, litteratorum commodis, utilitatique semper consulens, erga pauperes facilis, senili gangrena a pollice sinistri pedis inchoata longiore valetudine consumptus est *Vindobonæ*, die decima octava *Iunii* MDCCLXXII, & in Ecclesia *Cappuccinorum* prope *Marescallum Leopoldum* DAUN tumulatus fuit, ubi *Augustissima* Mausoleum cum Epitaphio posuit

MARIA THERESIA Augusta
Memoriæ
Gerardi L. B. Van Swieten Ordinis S. Stephani
Commendatoris
Consiliarii Aulici Archiatrorum
Comitis
Studii Restauratoris
Rei Medicæ Bibliothecæ Palatinæ, ac Librorum Censuræ
Praesidis
Parisinæ Petropolitanæ Variarumque Academiarum
Membri
Nati VII Maj MDCC Christiane & Heroice
Vita Functi XVIII Junii MDCCLXXII
Ob
Laborem Indefessum Eminentem Doctrinam
Integritatem Sinceritatem Constantiam Poni
Iussit

rum, aliorumque toxicorum naturam indagarent; propterea quod ſub venenorum nomine ſumma latere medicamenta ſuſpicabatur; atque Opium, & Mercurium exempli loco proponebat a Veteribus, ut venena, damnata. Cl. *Antonius* STRÖCK ex *Vindobonenſibus* GERARDI Auditoribus unus, *Cæſareus* nunc poſt Magiſtri obitum *Archiatrorum Comes*, *Aulicuſque Conſiliarius*, cui Præceptoris voces animo firmiter inhæſerant, conſideratis forſan omnibus, quæ de Cicuta ex Antiquis ſupra expoſuimus, *ſuſpicari cæpit, an non in ſucco Cicutæ vis ſolvens, penetrans, & diſcutiens lateret* [47].

XIX. CICUTAM velle in hominibus primum experiri, non conſilii erat, ſed audaciæ, ac temeritatis. Quare expreſſo ex recenti Cicuta ſucco, eoque lentiſſimo igne terreo vaſe inſpiſſato (ſæpius lignea ſpatula agitando, ne combureretur), parvo, & famelico *Cani* ter in die carnis fruſtum, & extracti hujus *ſcrupulum* unum dedit: cumque nihil cani nocuiſſe doſim illam animadvertiſſet, poſtero die eamdem extracti quantitatem non diſſimili ſucceſſu eidem cani praebuit. Quo experimento confirmatus periclitari & ipſe voluit, ſumendo mane, & veſpere Cicutæ extracti granum unum, infuſique *Theæ* cyathum deſuper hauriendo. Hinc cum octo dierum ſpatio doſim eamdem repetiiſſet, vixque, aut moleſti nihil in ſe perſenſiſſet, hebdomada altera doſin auxit ad grana duo mane, totidemque veſpere pari cum effectu; unde ſine periculo ſtatuit extracti vim in aliis tentari poſſe. Qua de re ſubacto extracto pulvere foliorum Cicutæ ipſius in pilularem maſſam, formavit inde pilulas granorum duorum: quarum pilularum ſenſim aucta in diem doſi, vidit induratas, & ſcirrhoſas glandulas reſolvi utplurimum, interdum ad benignam ſuppurationem redigi, &, quod mireris, ubi alia maxime

(47) *Libell.* I. de *Cicuta* cap. I. *pag.* 13. *Venetiis* MDCCLX.

valentiora remedia nihil antea profeciſſent. Vidit cancros ſanatos, acre cancroſum emendatum, fugatum foetorem non modo Infirmis, ſed & omnibus his in morbis infeſtum, ſedatos dolores. Vidit inſanabilia ulcera curata, fiſtulas, & ſinus ad omnia rebelles remedia, clauſos, & conſolidatos. Vidit oedematoſos tumores uſu externo diſſipatos, & viſum nondum inveterata cataracta obnubilatum, reſtitutum, & incipientium cataractarum ſolutiones, aut ſaltem earum progreſſum impeditum.

XX. Fausta hæc ſua Cicutæ extracto inſtituta experimenta, anno MDCCLX vulgavit, quæ eodem ipſo anno *Venetiis*, deinde *Neapoli* typis edita fuere, ubi morborum genera viginti exponebantur, quæ ſuperius dicta confirmarent. Difficile autem dictu eſt, quam multas excitaſſent pericula hæc inter Medicos lites, ac jurgia; quorum alii in verba Magiſtri jurantes, ſibi haud unquam perſuadere poterant, Cicutam citra noxam ſumi poſſe, & cancros curare; alii contra, quamvis Cicutæ venenatam vim flocci faciebant, judicium tamen ſuum cohibebant, donec in noſtro caelo Cicuta periclitaretur.

XXI. Primum, quod ſciam, experimentum factum fuit *Neapoli* in Uxore *Bibliopolæ* cancro ſiniſtra in mamma laborante, abſque laudabili exitu; eodemque tempore in Nobili Muliere, infelici pariter eventu: quapropter ipſo in ortu ſuffocari videbatur remedium, ex quo deſperatiſſimis his in morbis curatio promittebatur; quique ab initio Medici contra Cicutam ſteterant, ſummopere laetabantur. *Nolæ* pariter in *Coenobio*, quod *Templum* dicunt, Religioſa erat Virgo quinquaginta circiter annorum foediſſimo cancro dextera in mamma vexata, cui ipſe incaſſum Cicutæ extractum dedi a grano uno uſque ad viginti mane, & veſpere, & fruſtra linteola continuo appoſui ſuper affectam partem, Cicutæ decoctione madida. In aliis proximioribus locis eo tempore ſimilem eventum habuit Cicutæ extractum, uti mihi ami-

amici retulerunt Medici, quibus novum ut experirentur remedium, commendaveram.

XXII. Non unum autem erat Medicorum ſuper commemoratis experimentis judicium. Alii *Germanicam* Cicutam diverſi ab *Italica* ingenii longe eſſe affirmabant; robuſtum alii *Germanorum* temperamentum proponebant; alii denique haerebant incerti. Ipſe tamen ego, quamvis Cicutæ vim inefficacem pene, atque inertem quandoque expertus eſſem, nullo tamen pacto variis Medicorum judiciis acquieſcere poteram. Equidem poſſe & climatis varietate variari ſimplicia medicamenta, non ignorabam, eorumque vim & minui, & augeri poſſe; penitus vero omnem eorumdem, atque omnino perdi vim, ac naturam, nullo mihi pacto, ut crederem, perſuadere poteram. Quid poſſet temperamentorum diſcrimina, non ignorabam; inde autem id tantum fieri poſſe exiſtimabam, ut ſi *Germanis* toto curationis tempore Cicutæ extracti unciæ duæ darentur, una noſtris eſſet ſatis: unde potius nimiam malorum vehementiam, quibus applicatum fuit remedium, incuſabam; nam *nihil mutant regiones, & ex regionum varietate alii morbi in hac, alii in illa frequentiores ſunt: ubi vero idem morbus occurrit, ubique gentium eadem adhibenda eſt medela, exemplo* ducto ex Hippocrate, aliiſque Celeberrimis Medicis, ut monet Doct. Tissot (48). Anne nos varia uſurpamus medicamenta ab *Exteris*, inque longinquis *Regionibus* primum detecta, illorumque ſequimur dictata in eorum uſu? Inter immenſum eorum numerum, binis ab hinc ſeculis detectorum, *Pervuianum* ſolum *Corticem* aſſumam in exemplum; de eo enim, quæ Mortonus *Londini*, Tortus *Mutinæ*, Werlhofius *Hannoveræ*, aliique alibi

(48) *Diſſert. de febr. bilios* art. *canon. pract. pag.* 175. *Lauſannæ* MDCCLVIII.

bi obſervarunt, idem quotidie iis quibus vivimus terris, animadvertimus. Attamen periclitari amplius Cicuta in tot, tantiſque Medicorum diſſidiis, res erat periculi plena, quemadmodum ex adverſariorum invidia expertus didici, qui occaſione arrepta, undique adverſus me conclamarunt. Quare, poſthabito tantiſper Cicutæ uſu, ad Veterum juxta, ac Recentiorum Medicorum ſcripta inveſtiganda animum retuli, quo facilius, ac tutius plantæ hujus ingenium pernoſcerem.

XXIII. Prodiit interim alter Störckii de Cicuta liber, ex cujus lectione dubitare cæpi, an vera fuiſſet Cicuta, quam noſtri uſurparunt *Pharmacopolæ* in extracto conficiendo. Deinde anno MDCCLXII, quo *Neapoli* editum fuit ejuſdem Cl. Viri *Supplementum neceſſarium de Cicuta*, apertiſſime intellexi, erraſſe reapſe in Cicutæ collectione, ejuſque loco collegiſſe alios *Myrrhim*, quæ, uti ſuperius diximus, Cicutæ eſt ſimillima (49), alios, licet veram Cicutam, reliquiſſe tamen, ut Auctor ipſe notat (50), herbam collectam in uno cumulo plures per dies, tum expreſſiſſe *ſucci ingentem copiam, eamque in vaſe cupreo igne ſatis forti concoquiſſe*, atque confeciſſe aridum, exſuccumque extractum, iners prorſus, atque inefficax. Accidit etiam *Vindobonæ* anno MDCCLXIII *Chærophylli* ſuccum in extractum multis in officinis coactum fuiſſe, & pro Cicutæ extracto tam exteris, quam *Viennenſibus* diſpenſatum; quo factum eſt, ut in diem diſſonæ ſemper eſſent de extracti Cicutæ effectibus obſervationes, referente Doct. *Henr. Jo: Nepom.* Crantz, qui juxte conqueritur, *ſæpe medicamenti alicujus laudes Pharmacopæorum ignorantia ſugillari* (51).

XXIV.

(49) Vide §. III.

(50) *Supplem. neceſſar. de Cicut. pag. 6., & 7. Neapoli* MDCCLXII.

(51) *Mater. medic.* &c. tom. 1. *Cardiac. nutrien. Radic. pag.* 34.

XXIV. Decembri exeunte, cum ad manus meas Störchii *Supplementum* pervenisset, herbam colligi, ejusque succum exprimi, atque extractum inde parari ad mentem Cl. Viri importunum, atque intempestivum erat: quapropter accuratum, peritumque rogavi *Pharmacopolam*, ut tempore a Störckio constituto, Cicutam colligeret, & conficeret inde extractum; utque erroris nulla esset suspicio, eidem dedi librum, in quo necessariæ cautelæ in conficiendo medicamento notabantur, & diligenter aere excusa Cicutæ imago erat. Annuit libenter Vir optimus, immo, se mense *Junio* anni MDCCLXIII ad montem *Magellanum*, qui in *Samnii citerioris Provincia* situs est, & indigenarum herbarum feracissimus, profecturum se promisit.

XXV. Cel. Tissot liber *Lugduni* excusus, eodem anno *Neapolim* appulit, cumque summo plausu ab omnibus exceptus esset, Medici, qui contra Cicutam acriter ad eam diem declamaverant, paulisper siluerunt; qui vero pro Cicuta steterant, animum recipiebant; præsertim dum legerent, quæ Tissot (52) scripserat, & notarum indici remediorum appositarum Auctor (53). Atque hinc quoque factum est, ut denuo de Cicutæ periclitanda vi Medici cogitarent; & infirmi, quibus ea prodesse credebatur, animos tollerent, atque in spem erigerentur, fore, ut sine ulla mali suspicione Cicuta sumi posset.

XXVI. Ad condictam diem *Pharmacopola* fidem suam liberavit, & *Magellam* petiit: eidem ego Störckii librum dedi, & alterum quoque adjeci Herbarii Operis Cel. Weinmanni volumen, ubi num. 383 exactissima erat nostræ Cicutæ imago, veris effícta coloribus. Decimo

(52) *Avis au Pouple sur sa sante* &c. tom 2. chap. XXVI. §. 375. *pag.* 455. *a Lyon* MDCCLVIII.

(53) Tom. cit. *Tabl. des remed.* n. 57. *pag.* 722., 723.

cimo quinto a discessu die *Pharmacopola* rediit, secumque attulit magnam extracti Cicutæ copiam, quod ad præscriptas in laudato STÖRCKII libro leges paratum erat, *crassum scilicet, ex fusco viridescens, & ingratissimum habens foetorem, qualem mures domestici spargunt* (54). Qui scirrhosis laborabant tumoribus, nolui eis primum Cicutam præbere; ne, si quid forte ex ea ii caperent molestiæ, rursus me exponerem Medicorum calumniis, præcipueque Magnatum, qui, ut sapienter monet Doctiss. SWIETEN, *nunquam creduntur perire morbis, sed tantum Medicorum erroribus* (55); qua de re variis aliis tenuioris sortis Infirmis Cicutæ propinavi extractum, morbosque aliquos a laudato saepius Auctore descriptos feliciter depuli. Ex faustis autem Cicuta peractis curationibus animum sumpsi; jam enim poteram *Anticicutarios* experimentis convincere de vitali Cicutæ ingenio; nactusque interim occasionem, scripsi hanc super re ad toties laudatum *Cæsareorum* Archiatrorum *Comitem* VAN SWIETEN, qui Idibus *Decembris* prædicti anni MDCCLXIII post plura ad alias Medicinæ partes pertinentia, de Cicuta respondit: *Vidisti procul dubio, quod Cl. STÖRCK me testem binorum casuum citaverit in opusculis, quæ legisti. Candorem, modestiam, scientiam, in egregio hoc Viro laudant omnes. Ego Cicuta omni data occasione utor, nec poenitet. His diebus adhuc vidi ulcus cancrosum totam faciem miserrime depascens, sanatum hoc remedio. Multi hinc inde obstrepunt, sed facile illis permittitur, ut aliis remediis sanent, si possint*; deinde in editis ad BOERHAAVII *morbos puerperii* commentariis, testatur, se vidisse *Cicutam externo simul, & interno usu felicissime dissoluisse duros mammarum tumores*, relictos post illarum par-

(54) *Suppl. necess. de Cicut. p. 7.*
(55) Comm. in *Hermanni* BOERHAA. *aphor.* tom. V. comm. ad §. 1028. *pag.* 247. *Neapoli* MDCCLIX.

partium abſceſſum, & ulceris conſolidationem (56); & in poſtremo tandem commentariorum volumine notat, *externum, & internum Cicutæ uſum profuiſſe, dum ſcirrhoſo in teſte durities poſt teſtis inflammationem manebat* (57).

XXVII. Dum ita ſe haberet Cicutaria res, novus exoritur contra Cicutam clamor ab *Anticicutariis* excitatus, qui quamplurimis ſiſi epiſtolis ex variis *Italiæ* partibus perventis, quibus contra Cicutam, & ut inertem, & ut noxiam ſcribebatur, animos, voceſque attollebant; dumque fauſto apud nos non unis in morbis Cicutæ eventu conabamur iis reſiſtere, Infirmorumque perturbatos inanibus vocibus animos compeſcere, ſenſim annonæ gravitas invaleſcere cœpit, deinde funeſta, & luctuoſa illa febrium ex putridarum genere epidemia, quæ ad *Octobris* uſque finem anni MDCCLXIV nos undique cruciavit; unde ſeverioribus detenti curis, Cicutam neglexímus (58).

XXVIII. Compositis anno MDCCLXV rebus, Cicutam denuo quamplurimis propinavi, & in diem jam omnes fateri cogebantur, non in malis eſſe Cicutam, ſed remedium. Multi erant Infirmi graviſſimis preſſi morbis, qui illam non ſine fructu uſurpabant; ex quibus alii jam perfecte ſanati erant, alii jam levari a morbis coeperant, quibus cruciabantur: cum ecce juſſu Excellentiſſimi, *Hoſtilianenſium Principis*, ſummi Equili Regio Præ-

(56) *Comm. in BOERHAAV. aphor.* comm. ad §. 1337. tom. VII. *pag.* 251. *Neapoli* MDCCLXIV.

(57) *Oper. cit.* tom. 10. *Comm.* ad §. 1462, *pag.* 109, *Neapoli* MDCCLXXII.

(58) Ejus hiſtoriam dedi in epiſtolari diſſertatione ad Virum Cel. Van Swieten, anno MDCCLXV edita, quam ruſus in hujus libri calce edi curavi.

fecti, relinquere Patriam, & Infirmos coactus fui, & sapientem ejus, ac eruditum Filium *Marcum Antonium Allianensium* Principem, *intimumque* REGIS *Cubicularium* comitari in legatione, cui a *Serenissimo* REGE destinabatur, ut me in via haberet Medicum, cui propriam salutem credere dignatus fuerat. Post varios casus, postque varia discrimina, tandem *Œnipontum* venimus, ubi in CÆSARIS Aula Cl. STÖRCK conveni: cujus candoris, modestiæ, sapientiæ, & humanitatis summæ recordatio jucundissima est, qua comiter me excepit, summorumque honorum, quibus in Aula novus ego homo a STÖRCKIO sum dignatus; cumque singulis fere diebus una essemus, multosque de Cicuta sermones haberemus, ex ipso didici, accuratum variumque modum Cicutam diversis in morbis ministrandi; utque magis benevolentiæ significationem ostenderet, præter alios libros, & illum mihi dono dedit, quo continuabantur experimenta, & observationes ad nova sua medicamenta *Vindobonæ* eodem ipso anno a se editum, ubi post recentes multas Cicuta peractas curationes, narrabantur observata pariter ab exteris Medicis.

XXIX. OCTOBRI ineunte in Patriam redux, Infirmos pene omnes Cicuta sanatos reperi; atque ex Medicis, quibus illos commendavi, exactas curationum historias audivi; cumque iisdem, quæ ex Cl. STÖRCKII ore acceperam, quæque in novo libro notabantur, communicassem, eorum animos inflammavi, ut quacumque data occasione opportune Cicutam darent. Enimvero ab eo tempore Cicutæ usus magis in diem invaluit, vidique ab ea mirabiles in desperatissimis morbis effectus, quorum præcipuas historias inferius recensebo; & non absque animi oblectamento vidi pariter inde, omnes apud nos pene Medicos, summis laudibus Cicutam extollere: *vix enim verosimile videbatur, plantam ubique terrarum fere laete crescentem, in solam humani generis per-*

perniciem fuisse creatam, ut apposite notat Doct. SWIETEN (59).

XXX. ANTEQUAM ad Morborum enarrationem transeam, quæret fortasse quispiam, quanam nempe ratione Cicuta in teterrimos morbos agat? Non hic immorabor eas recensere rationes, quibus ex Antiquis multi frigida, alii calida pollere virtute crediderunt: toediosum, nullaque refertum utilitate argumentum WEPFERUS (60), *Hieronymus* CAPIVACCIUS (61), *Daniel* SENNERTUS (62), & WELSCHIUS (63) plenius tractarunt; at in hac, in qua versamur literarum luce, difficile est, ut his nugis credamus pro plantarum explicandis viribus. Diu est, quod laudatus *Georgius Hieronymus* WELSCHIUS Cicuta reperiri credidit diaphoreticum salem, acrem, & soporiferum (64); verum posterioribus temporibus varia varii hac super re in medium protulerunt. Fuerunt qui confisi Chymicæ Cl. GEOFFROY analysi, Cicutæ vim explicare conati sunt, vel per ammoniacalem salem, vel per oleum ex libris quinque foliorum, & caulium tenerorum a Cl. Viro elicitum (65); contra vero alii, quorum ad manus erant Practicæ Observationes *Maximiliani* LOCHER *Viennensis* Medici, Cicutæ vires pendere autumarunt a quantitate salis, qua abundat, qui *partim in sal alkali*

 vola-

(59) *Comm. in BOER. aph.* Com. ad §. 1237. tom. VII. *pag.* 227.

(60) *Oper. citat.* cap. V., & VI.

(61) *Oper. omn. pract.* lib. VII. *de venen.* cap. 2. *pag.* 795. *Venetiis* MDCVI.

(62) *Oper. omn.* tom. V. *pract.* lib. VI. *part.* VII. cap. VI. *pag.* 276. *Lugduni* MDCLXXVI.

(63) *Hist. vit.* &c. decad. octa. cur. decim.

(64) *Hist. vit.* & decad. octav. cur decim. *pag.* 535.

(65) Oper. cit. tom. 2. *de vegetabil. indigen.* art. *Cicut.* *pag.* 175.

volatile, partim in fixum potentia ignis mutari potest (66). Ego vero probe conscius, quod multa ipsa natura velat, ideo licet in Cicuta vim summam resolventem, anodynam, antiputredinosam cognoscam; nullo tamen modo explicari credo illius memoratos effectus per id, quod ex ea ignis tormento educitur; & sicut alibi veritus non sum *Peruviani corticis* vim, qua hic febres debellat, Cl. Virorum ratiociniis innixus specificam vocare (67); ita & nunc audeo, affirmare Cicutam specifica virtute agere, nam sufficit novisse quod agat, etsi modus ignoretur; recte igitur POETA

. . . . *ullis*
Fas est Mortalibus omnia scire . . . .

Hæc mea circa medicamentorum agendi modum in corpus humanum sententia, quam post diuturnas meditationes duodecim retro annis exposui, laetus inde non absque voluptate confirmatam vidi a Cel. SWIETEN in postremo commentariorum edito volumine (67*).

XXXI. MULTO abhinc tempore Cel. Viri, &, quod rei caput est, qui plurimum chymicis operationibus addicti fuere, adnotarunt, corporum vera principia frustra ab analysi sperari. Tales fuerunt BOYLE, *Fridericus* SLARE, HENKEL, MARIOTTE, aliique, quorum nomina

(66) *Observ. practic.* &c. cap. IV. *de casib. var., qui ulterior. Cicut. usum intern., & extern. in morb. curat. diffic. confirm. pag.* 81. *Viennæ Austriæ* anno MDCCLXII. Cl. *Parisinus* Pharmacopola BAUME essentialem salem ex Cicutæ succo eductum, compositum esse, scribit, ex acido vitriolico, & marino, quæ acida, pro basi, vitrificabilem argillosam terram habent, aluminis similem. Vide *Elementi di Formacia* e Gallico in Ital. sermon. convers. &c. part. IV, *pag.* 148, 149, *in Venezia* MDCCLXXIII.

(67) Vide *comm. nostr. ad part.* I. *ration. medend.* Antonii DE HAEN. cap. 2. *pag.* 137. *Neapoli* MDCCLXII.

(67*) *Comm.* ad §. 1467, tom. 10, *pag.* 126, *Neapoli* MDCCLXXII.

na extant apud Cel. HALLERUM (68). Revera qui aliquantulum intento animo observat Chymicas plantarum analyses, aperte videt, ea ipsa, nec penitus diversa principia, a plane contrariis, diversisque stirpibus, diversosque in humanum corpus effectus producentibus, educi. Sic Cel., neque unquam, nisi magna cum laude memorandus *Hermannus* BOERHAAVIUS ex sexaginta diversis plantis ad varium, diversumque medicum reservatis usum, volatile semper sal eduxit (69): quapropter adnotavit, quod *Chemia etiam sollicitissima vix queat retinere dotes simplicium herbarum illibatas; semper quippe misceat prius separata in plantis; semper a prisca levissime mutabili indole immutet, novisque non modo formis, sed dotibus imbuat. Longe igitur abest, ut Chemistæ operationibus suis separare queant semper præstantes vires, quas natura proprias alicui plantæ impertiit; quum easdem suis artificiis sæpenumero, imo plerumque, valde immutent, quin & in contrarias prorsus convertant* (70); & ante BOERHAAVIUM *Leonardus* A CAPUA anno nonagesimo quarto superioris sæculi in *Neapolitana Universitate* Medicinæ Professor, etsi admodum Chemiam ut necessariam laudasset ad medicinam faciendam (71); fassus est tamen alibi, tantam esse vim, atque impetum ignis, *ut sæpe corporum quæ resolvit naturam immutet, uti in salibus videtur, qui ex dulcibus amari, ex volatilibus solidi, & fixi deveniunt* (72). Cel. HOFFMANNUS, quamvis in chymicis

---

(68) *Elem. physiol.* &c. tom. 2, lib. v. §. XXXIV. not. (l) *pag.* 96. *Lausannæ* MDCCLX.

(69) *Elem. chem.* tom. 2. *chym. oper.* par. 1. *in Vegetant. pag.* 11. *ad* 38. *Venetiis* MDCCXLIX.

(70) *Oper. cit. tom. cit.* in Prolegom. *pag.* 6, & 7.

(71) *Del parere del Sig.* Lionardo DI CAPOA &c. *Ragionamento settimo*, tom. 2, *pag.* 76 *ad* 132, *in Cologna* MDCCXIV.

(72) *Oper. cit.* tom. 2. *Ragionamento primo interno all' incertezza de' medicamenti* pag. 31.

micis excellens, asserere non dubitavit, *ignem*; *cujus beneficio chymica eliciuntur*, *destruendis potius simplicium texturis*, *a quibus eorum facultates*, *& virtutes*, *unice dependent*, *idoneum esse* (73); & tandem ut alios prӕteream Cl. DE HAEN post varia efficacissima argumenta, notavit, *carere Chemiam admiranda*, *neque ullo modo imitanda tali machina*, *qualis corpus animale est*; *adeoque effectum medicamentorum analysi chemica vix leviter adumbrari* (74); recte igitur nuper Cel., ac Doctiss. *Vratislaviensis* Medicus *Balthasar Ludovicus* TRALLES affirmavit, quod *analysis chymica effectum remediorum haud determinat* (75). Quibus, aliisque permotus rationibus in ea semper opinione fui, prosequendam esse Vetustorum Medicorum analysim, qui cognitis medicamentorum externis viribus, internas inde eorum vires didicerunt. Apud GALENUM extat hac de re testimonium; qui postquam ex diverso plantarum odore, aut sapore illarum vires determinat, addit: *quod quӕ in ulceribus nata sunt prӕstare*, *id ipsum in corpus assumpta efficere valent* (76): quӕ GALENI sententia secum Cel. LINNEUS forsan reputans, in plantarum determinandis viribus adoptavit, illamque quammaxime adauxit; & ex colore pariter stirpium statuere vires docuit.

DE

(73) Dissert. Phys. Medic. XXXII. *De prӕstantia remediorum domesticorum* §. 1. *pag.* 478. *Venetiis* MDCCXXXV.

(74) *Ration. medend.* part. 10 *cap.* VI, *pag.* 278. *Viennӕ Austriӕ* MDCCLXV.

(75) *De insit. veriolar. vel admitt.*, *vel repudiand. argum. &c. pag.* 237. *Uratislaviӕ.* 1765.

(76) Libror. 5. class. *De simpl. medic. facult.* lib. 4. cap. 18. *pag.* 29. vers.

DE CICUTA COMMENTARII PARS ALTERA.

I. Quæ Medicam Cicutæ ad noſtra uſque tempora ſpectabant hiſtoriam, quantum quidem ex Veterum, Recentiorumque ſcriptis habui, qua licuit diligentia, hactenus ſum perſequutus. Venio nunc ad enarrandas Cicutæ beneficio peractas curationes, quæ ſuperius a nobis conſtituta perbelle confirmant. Quos autem Cicuta ſanatos hiſce oculis egomet vidi, eorum ſtatum diebus ſingulis in adverſaria referebam, unde hæc ſunt exſcripta, quæ inferius enarrabo. Equidem poſſem millenas Cicutæ beneficio ab aliis quoque Medicis heic *Neapoli*, tum & in aliis hujus Regni *Provinciis* peractas curationes percenſere; verum longa doctus experientia pro aliena fide ſpondere nolo. Atque, ut recto cuncta procedant ordine, per ſingulas morborum claſſes referam obſervata, ſingulisque paragraphis includam morbos, quos Cicutæ beneficio depulſos eſſe ſum expertus.

II. Initium autem faciam a morbis capitis.

Ego annum agens ſextum ſupra trigeſimum, ineunte *Junio* anni MDCCLXX, abſque ulla manifeſta præcedente cauſa, animadverti, quod cum procul obiecta aſpicerem, imagines aliquot velut muſcas ſiniſtrum inter oculum, & obiecta volitarent. Augebatur in dies moleſtia, præcipue

cipue cum illuminata obiecta intuerer, potissimum colorata. Probe conscius quam multiplex esse poterat morbi hujus causa, sanguinem ex brachio, ex scapulis inde scarificatis cucurbitulis detraxi, purgantes sumpsi: at quia absque fructu evadebant omnia, credidi non ab retinæ centralis arteriæ dilatatione, vel obstructione oriri morbum; verum potius suspicabar retinæ vitium causari a parva alicujus subtilis cellulosi septuli obstructione, quæ cellulosa septula ex pia membrana optici nervi involucrum efficiente prodeunt, & inter medullam dimissa illam varie dividunt. Multis edoctus observationibus Cicutam summa permeante, ac resolvente vi pollere; & quod eo pervenit, quo valentiora alia remedia devenire non poterant, statim illam sumpsi a scrupulo uno, aucta viginti dierum spatio ad drachmas duas dosi. Nihil expertus sum incommodi, bene comedi, bonas ut antea duxi noctes, fui ad omnia alacer; declinavit tamen sensim morbus, & bimestri spatio perfecte convalui.

III. In pectoris quasdam affectiones admirabili fuit Cicuta præsidio: quamplures enarrabo historias, & primum quidem ab earum gravissima Phthisi pulmonali incipiam.

Nolæ in Coenobio *S. Claræ* Nobilis erat *Monialis* phlegmatici temperamenti, per annum bis rheumaticis doloribus vexata, ineunte nempe *Vere*, atque *Autumno* exeunte. Per quinquennium experta hoc mali erat. Vigesimum quintum agebat annum, cum anno MDCCLXVI, *Aprilis* initio, assuetis doloribus subiicitur. Nihil notatu dignum in eorum decursu. Post diem quadragesimum, prævia horripilatione, ac levi febre, quod supererat dolorum resolvitur. Vox aliquantisper fit rauca, cum aliqua in deglutitione difficultate. Aperto ore, palatinum velum phlogosi teneri, tonsillares glandulæ paululum tumefactæ observabantur, neutiquam vero dolebant. Sanguinis missione, ac emollientibus gargarismatibus utitur. Evanescit rubor, sed vox eadem. Paucos post dies frequens

quens tuſſiendi neceſſitas, cum noctu lectum peteret. Noctes vigiles, ac tuſſis ſicca. Oritur febris, veſpere parvum habens incrementum. Non ſudor, nec major urinæ quantitas, quamvis ſecunda noctis hora aliquot *Stibii* granis cum pilulis *de Styrace SYLVII* uſa eſſet, & per diem copioſis avenaceis cum melle potionibus. Duodecimo a febre die, ponderis aliquid in dextera pectoris parte ſubeſſe retulit, ita ut ſuper eam cubare potis non eſſet; invaleſcebat enim tuſſis. Febris novis his rebus non auctior. Ponderis in dies augetur ſenſus, ac quæ tuſſis antea ſicca, humida redditur. Die tertio, ac vigeſimo, noctu cum tuſſi uncias circiter decem ſeri albi, fluidi, ſpumoſi, ad inſtar conquaſſati ovi albuminis, expellit. Mane attento animo excretum exploratum, non præbuit incipientis degenerationis indicia. Igne appoſitum, evaporavit magna ex parte, & quod in vaſe reſtitit, veluti coactum jus, concrevit. Pectoris pondus non diminuitur; tuſſis vero per integrum diei ſpatium rarior, & ſicca. Poſtero die ad libram unam, & ſemis crevit expectoratio, ejuſdemque prorſus conditionis. Subſequens nox male habuit aegram: idem ponderis ſenſus; & reſpiratio, quæ prius inculpata videbatur, lædi coepit, cum ad dexteram cubabat partem. Pilulæ pectorales MORTONI paucis granis *Æthiopis mineralis* præſcribebantur, ac amplum veſicatorium, ubi ponderis erat ſenſus, applicabatur, quod per menſem apertum, etſi multo fluxiſſet, expectoratio tamen in diem aucta, diebus proximis trium librarum pondo fuit; ſemper tamen ejuſdem, quemadmodum ſupra adnotavimus, conditionis. Per integrum morbi decurſum, menſtrua quamvis decolorata, & pauca, fluxerunt ſtatuto tempore. Cum uſque adhuc exhibita non profeciſſent, ſtomachus debilitari coepit, ac vires fatiſcere cum ſenſibili corporis macie, &, ut verbo dicam, omnia nedum ad phthiſim, ſed ad mortem feſtinabant. Subiit animum, in hac pulmonali phthiſi Cicutæ extractum experiri. Per diem bis,

mane

mane nempe, & vespere ad grana octo pro qualibet praescribitur vice, desuper hauriendo uncias sex dilutae *decoctionis hordei*, ac *veronicae*, & vespere jusculum ex *fruct. Cac.*, *semin. bomb.*, *ac radic. zedoar.* paratum.

Prima morbi hebdomada idem rerum omnium status, habitus idem. Hebdomada altera rediit appetitus, tussis rarior noctu, eadem per diem. Die vigesimo, vires invalescere observabantur, at paulo minor expectoratio. Cum satius in dies convalesceret Ægra, Cicutae extractum, quod antea horrebat, ad grana decem singulis vicibus, hilari animo est persequuta. Cum ventum esset ad mensem, mitissima redditur febris, & vix ad libram, quatuor & viginti horarum spatio, expectoratio; utque haec decrescebat, ita notatus ponderis sensus minuebatur. Sub finem secundi mensis evanuit morbus: Aegra surrexit: perque alios quadraginta dies persequuta est remedium; neque autumnali tempore redierunt amplius rheumatici dolores.

Neapoli Mulier annorum, ut quidem videbatur, fere quinquaginta, cachectici temperamenti, asthmate, hepatis, & lienis obstructione, tactu deprehensa, a quinque retro annis, quo menstrua cessarunt, afflicta. Hiemali, & verno tempore frequenter erysipelate in facie, capillata capitis parte, & tonsillarum inflammatione vexabatur. Sanguinis repetitae missiones, minerales *Lucullanae* nostrae aquae, dulcis aestivo tempore aquae balnea, & autumno *saponis Veneti* cum *Ammoniaco* usus vix, aut nihil levabant Ægrotam; tantumque leve solamen cauterium sinistro in brachio attulit. Tot malis cruciata, enixe me rogabat, ut vellem se a tantis reficere anxietatibus, quae tristem, & invisam faciebant vitam. Consideratis attente omnibus, praescripsi Cicutae extractum cum *Ammoniaco*, quo remedio, adaucto Cicutae extracto usque ad drachmam unam, & semis in diem, trium mensium spatio, hepar, & lien detumuere, rediit floridus in vultu color, appetitus, nec amplius erysi-

eryſipelata; & mitior ſpirandi difficultas. Inculcabam, ut vellet proſequi remedium; illa vero praeter ſpem convaluiſſe videns, noluit: promiſit tamen, ineunte autumno pilulas reſumere. Ad præſens bene valet.

NOLÆ Vir annorum ſex, & quadraginta, robuſtus antea, atque habitus potius plethorici, bibax, & ſæpe ebrius, a menſibus quindecim phthiſi pulmonali vexabatur lenta febre ſociata, quem in morbum a ſpreto pectoris rheumate inciderat. Expectoratio copioſa erat, puriformis, foetida, interdum ſanguineis maculis interſperſa. Poſt varia balſamica remedia, & diuturnum lactis uſum, *mineralis aethiopis*, *&* *anthiectici POTERII*, tandem Cicutæ ſumpſit extractum a granis duobus uſque ad triginta, extracto *corticis Peruviani* ſociatum. Bimeſtri ſpatio expectoratio valde diminuta, non amplius foetida, non puriformis; ſed mere lymphatica. Febris evanuit, deperditæ vires redierunt; lectum proinde reliquit, quo a macore, ſummaque laſſitudine tenebatur; & poſt menſem alium, admirantibus omnibus optime convaluit.

NEAPOLI Puer annos octo natus, morbillis, qui tunc epidemici erant, corripitur. Evaſit a morbo; at ſaeva obſtitit tuſſis, ſumma pectoris anguſtia. Nulla adhibita medela fuit; atque hinc in diem ſummopere gravabatur pectus, lenta ſimul inſurgente febre, quæ veſpertinis increſcebat horis, cum ſenſibili corporis macie. Expectoratio puriformis, foetida, & ſat copioſa poſt menſem erat. Cum lactis uſus, & valentiora alia remedia nihil profeciſſent, præſcripſi Cicutæ extractum ad grana quinque mane, totidemque veſpere. Illius continuato per dies quadraginta uſu, ceſſit febris, tuſſis, expectoratio, floridus rediit corporis habitus; dumque hæc ſcribo, bene valet.

NEAPOLI Monachus ex ordine Divi *Franciſci* a PAULA annos natus quinque, & quinquaginta, octo retro annis abſque manifeſta, quæ incuſari poſſet cauſa paulatim aſthmate laborare coepit, quæ ſenſim increſcens eo

venit, ut nec poenitentiæ exercere poſſet Sacramentum, nec de divinis apud Populum agere rebus. Multis cum Medicis conſilium habuit, & unus, qui magna in Urbe eminet fama plures per menſes ei dedit *liquidæ picis* aquam, & gummi *Ammoniacum*; ſed infeliciter omnia: imo ſub horum remediorum uſu diebus ſingulis increſcebat aſthma. Me adiit, & ex ſymptomatum omnium ſeria contemplatione vidi morbum ex glutinoſo humore pulmonem infarciente cauſari; quapropter aliis edoctus periculis de mirabili Cicutæ vi ſimilibus in morbis ab eadem productis cauſa, illam *ſapone Veneto* ſociatam præſcripſi a granis decem ad drachmam unam, quo remedio tres poſt menſes perfecte convaluit.

Ne in magnam molem excreſcat libellus, omitto ſalutiferos effectus, quos a Cicutæ extracto vidi in contumacibus rheumaticis tuſſibus. Nuſquam ſine fructu morbi initio Cicutam ad grana ſex adhibeo; ex cujus uſu magis, quam per alia remedia, concoquitur materia, facilis exiſtit expectoratio, ceſſat tuſſis, neque debilitatur ſtomachus, uti plerumque fit in hoc morbo.

IV. A pectoris morbis gradum facio ad affectiones abdominis, qua in corporis regione ob innumera, quæ ibi extant viſcera, ad diverſos, præcipuoſque in vita deſtinata uſus, varii, graviſſimique oriuntur morbi, humanam ſummopere turbantes oeconomiam: in quos morbos admirabilis fuit Cicutæ vis; quod ex ſequentibus manifeſto apparebit.

Nolæ Formoſa Virgo annos nata novem & decem ex honeſtiſſimis Parentibus, ad decimum uſque ſeptimum aetatis annum incolumem duxerat vitam. Ineunte decimo octavo abſque evidenti, quæ criminari poſſet cauſa, de ſtomachi languore, inappetentia conqueri coepit; demum acerrimo dolore poſt dimidiam a prandio horam, non ſine eſculentorum vomitu ceſſante, vexata eſt. Non acidus, nec amarus in eo ſapor; & quamvis prandii hora ſingulis fere permutaretur diebus, ſemper idem dolor,

lor, eademque vomitio. Novem per menses has est experta molestias: quo tempore immunia fuere menstrua, nec apparuit febris; defoedatus vero vultus, corpusque macescere videbatur. Varia, & peroptima præsidia ab iis, quibus commissa erat curatio, fuerunt exhibita; incassum omnia. Tandem febrire visa fuit, & cum vomitu aliquid nigricantis sanguinis interdum foras emittere. Eodem tempore ponderis quemdam sensum in profunda jecoris parte persentire dixit; quamvis nihil tactu Medici animadvertissent. Inito consilio, cum macies sensibilis, ac vultus summopere decoloratus esset, Ægram in vicinia nostra ferri statuitur: quo peracto, meam expostulant Genitores, & eruditissimus Frater sententiam.

Quæ hactenus scripsi, a Medico, qui illus gesserat curam, accepi. Invisi Ægram sub exitu *Maj* anni MDCCLXVI. Tempus ad deliberandum suscepi, nedum ut melius consultationi satisfacerem, quam ut transacta præsentibus conferrem. Quantum extundere licuit, tot malorum originem pendere ab uno, vel pluribus parvis glandularibus tumoribus, scirrhosam nactis naturam, aut simulantibus, in concava hepatis parte, aut in inferiori ventriculi orificio, intellexi. Ad tabificam vergebat febris. Vomitiones eædem, dolorificæ; & conatibus ultimis amari aliquid, vel acidi inerat; rejectusque cibus parum, aut nihil immutatus erat, fortasse, quia in notata jecoris parte efformati tumores pondere duodenum angebant, aut similes in inferiori ventriculi orificio, cibi incipiente coctione irritabantur, vomitumque excitabant. Menstrua adhuc fluebant, etsi parva, & decolorata; sed alvus pertinaciter erat adstricta. Consideratis attente his omnibus, Parentibus dixi, non esse pro Ægrota auxilium; sed si spei quid superesset, unice a Cicutæ extracto expectandum. Annuerunt Parentes optimi, & curam aggressus, præcepi, Ægram mane post decem extracti Cicutæ grana, uncias tres Vaccini lactis, cum libra semis infusionis *Peruviani* corticis, desuper hauri-

haurire, eamdemque quantitatem vespere; & mane tres post horas a sumpto remedio, singulis bihoriis libram semis ejusdem infusi. Frigidas omnes has potiones sumere jussi, atque a cibo abstineri. Prioribus tribus diebus iidem vomitus tam mane, quam vespere, sed post duas, vel tres a sumpto lacte horas: aquam vero haustam diei spatio non vomuerat. Quarta die vomitus mututinus siluit, stetit vespertinus; alvus tamen cretaceum aliquid in globulos redactum, nec sine dolore, deposuit. Die sexta ad Ægram redii, vegetiorem inveni; & cum diebus singulis ejusdem conditionis foeces, doloribus sociatas deponeret, clyster ex lactis sero, & malvæ aqua in usum vocatus est. Undecimo, quo haec acta sunt die, cum rediissem, dolores evanuisse comperi, alvum lubricam, & bidui spatio servatum a stomacho cibum, neque Ægram vomuisse. Spe, ac voluptate perfundebatur illa, & vires resurgebant. Mane, & vespere extractum Cicutæ ad grana viginti, lac ad uncias quinque augetur, repetitis in diem potibus descriptæ aquæ.

Dimidiatus fere erat *Junius*, cum Aegra, restitutis magna ex parte viribus, extra domum deambulare coepit; sed haud aberat febris, quamvis mitissima: & cum, antequam ægrotaret, equitationi indulsisset, equitare permissa est. Sub ejusdem mensis exitum, prævio irrito vomendi conatu, ac viscerum molestissimis doloribus, alvum deposuit durissimos foecum globulos, quammultis intermistos maculis, ad albuminis ovi instar. Quinque dierum spatio bis, ter in die hoc incommodi pertulit. Cessit tandem per alvum gluten. Dexteri hipocondrii pondus abiit, neque rediit deinceps; tunc & febris extincta est: cumque enixe cibi aliquid optasset Ægra, duas panis uncias aqua incoctas circa meridiem imperavi; atque, ad herbaceum tandem descendi victum.

Cum omnia in salutem cessissent, Ægra alacri animo, & religiose curam prosequitur. Integro *Augusti*, & *Septembris* decursu pluvialis aquæ balneationibus utitur.

Redeunt ſtatuta copia menſtruationes, redit & priſtina forma; cumque jam bene valeret, *Octobri* menſe honeſtiſſimis cum Genitoribus, ac eruditiſſimo Fratre in Patriam rediit, ubi adhuc vivit, ſummiſque laudibus Cicutam extollit.

NEAPOLI Mulier aetatis anno tertio, ac vigeſimo, plethorica temperie, ac ante triennium Viro provectæ aetatis nupta; quindecim poſt dies gravida redditur, & ſtatuto tempore ſanam, vegetamque parit puellam: & quamvis nullus ei in partu labor; retulit tamen Medicus, qui ei miniſtrabat, nuſquam eidem pacatum pulſum, ſed celerem uſque ad ſecundum fuiſſe diem (1), quo febre corripiebatur ſatis vehementi, violentiſſimis uteri ſociata doloribus, & lochiorum ceſſatione. Varia adhibita fuere remedia, ut tantis occurreretur malis, quibus etſi uteri avertebatur inflammatio, & lochiorum revocabatur fluxus; fuit tamen hic ſeroſus, & tenuis, & nonniſi uſque ad vigeſimum a partu fluxit diem. Corporis habitus defoedatus, & exſuccus remanſit; morboſus ita uterus, ut non amplius menſes fluerent, & ſæpius acuti dolores in eo orirentur, levi ſociati febre per tres, vel quatuor dies. Solvebantur omnia urina admodum craſſa, puriforme ſedimentum deponente. Lactis uſus, & chalybeata, ruſticatio, & aquæ dulcis balnea opportuno tempore præſcripta, incaſſum omnia. Ineunte hyeme anni MDCCLXVI recruduerunt uterini dolores, non levi, ſed vehementi ſociati febre, vagis invadente horripilationibus, aqueiſque urinis. Quid non tentarunt Medici? Sed fruſtra; neque enim ante quartum diem miteſcere morbus viſus eſt, niſi poſt copioſam notatæ urinæ

(1) Dum in Patria aſſidua in morborum praxi olim verſarer, conſtantiſſime vidi, ſi poſt unam, alteramve a partu horam, pulſus non eſſet ſedata celeritas, ſequi ſemper acutam febrem cum uteri inflammatione.

urinæ evacuationem: At, ſicut alibi facta tali urinæ excretione, penitus ſolvebantur omnia; hic contra lenta remanſit febris, veſpertinis invaleſcens horis, a qua in diem corpus tabeſcebat. Sexdecim poſt dies recruduit febris, omnia ſupra adnotata ſymptomata ſecum ferens, quæ febris die ſecundo, facta denuo copioſa puriformis urinæ evacuatione, redibat ad priſtinum. Decimum etiam poſt diem ſævire, & febris, & dolores viſi ſunt, & die tertio, quamvis eadem eſſet urina; miteſcere tamen viſa eſt febris; neque dolores vero, neque in urina pus ceſſerunt: quapropter continuo maceſcebat corpus, & ad extremum properare fatum non ſine Parentum luctu videbatur Infirma. Dum haec ita ſe haberent, in conſilium vocor cum Doctiſs. ſimul amico *Dominico* COTUNNIO. Uteri itaque inſpecta regione, & penſitatis recte omnibus, quæ morbum anteceſſerant, quæque obſervata erant ſymptomata, ſtatuimus, illum a tuberculis naſci, in uteri ſubſtantia genitis, qui continuo ſuppurabantur; & quia in uteri cavo puri non erat exitus, reſorbebatur pus, & in renibus cum urina a fluidorum ſeparabatur maſſa; atque ex ipſa puris reaſſorptione coinquinatis fluidis, tabida febris, & macor. Cum videremus autem omnia artis advocata fuiſſe auxilia, conſtituimus in deſperato pene morbo Cicutam tentare. Coepimus itaque a granis duobus mane, totidemque veſpere, quibus alia viginta grana extracti *corticis Peruviani* admiſcuimus, adaugendo diebus ſingulis extracti Cicutæ granum unum. Bene adjuvit DEUS conatus noſtros: jamque viginti poſt dies dolores evanuere, abiit febris. Fugata febre, *Peruviani corticis* abſtulimus extractum, & ad drachmas duas Cicutam auximus. Ægra, quæ jam mori credebatur, tam præter ſpem omnem convaleſcere ſentiens, quæ imperabantur, diligenter continuavit; unde & prior corporis rediit habitus, & catamenia primum abſque ullo dolore poſt menſes quinque ab uſu Cicutæ fluxerunt, fluuntque quinto pariter, dum haec rurſus

edun-

eduntur anno. Et quamvis, optime valeret illa; noluit tamen pilulas deserere, & ab ea tantum assequi potuimus, ut in diem Cicutæ grana decem sumeret binos per menses; quod inde suo modo posterioribus annis hiemali tempore, quadraginta dierum spatio, ad grana viginti diebus singulis sumere non intermisit.

NEAPOLI Vir aetate gravis, primus *Regiæ Typographiæ*, excusor, sæva corripitur hepatitide. Variis adhibitis præsidiis evasit a morbo: remanserunt vero induratus hepar, tumefactus lien; unde in ambulando anxietas oriebatur summa, & œdematoso tumore inflari coeperant pedes. Multa varii incassum ministrarunt Medici. Suasi Cicutæ extractum ad grana viginti singulis diebus, mane hauriendum; ex quo remedio quadraginta dierum spatio integre convaluit.

NEAPOLI Monachus Familiæ *minoris observantiæ* D. FRANCISCI annos agens circiter quadraginta, quinque retro annis dolore cruciabatur sub mucronata cartilagine digestionis tempore, & pro doloris intensitate compellebatur interdum vomitum concitare digitis in gulam immissis, quo dolor mitescebat. Variis adhibitis remediis non solum non cessit morbus, verum eo pervenit, ut pro magna virium iactura, & corporis emaciatione ad extremum properare fatum videretur. Alvus erat omnino clausa, & novem mensium spatio nec pane, nec carne vesci poterat, tantumque jura carnis, quibus furfur solvebatur ad sustentationem adhibuit, qui furfur interdum immanem etiam excitabat dolorem, unde & vomitum ciere Æger cogebatur; eoque toto tempore centum, & novem usurpasse clysteria absque fructu affirmavit. Die decima septima *Septembris* anni MDCCLXVII *Neapolim* venit, & malorum audita serie, scirrhum in piloro adesse credidi, unde Cicutam praebui a granis quinque mane, & vespere usque ad drachmam unam, qua trimesti spatio sanabatur.

Cicutæ vires in aliis abdominalium viscerum mor-

bis praetereo. Cicutam admirabili fuiſſe praeſidio vidi in hepatis obſtructionibus, a fluidorum viſcoſitate natis, & propter bilis inde inertiam, poſtratus erat appetitus, tarda, & tumens alvus. Mulieribus, quibus menſes atrociſſimis ſociati erant doloribus, aut inordinate fluebant, Cicuta dolores abſtulit, menſeſque in ſtatutum ordinem redegit.

V. Ab internis abdominalium viſcerum morbis ad eos, qui interiores urinae vias impediunt, deſcendimus.

Neapoli Vir aetatis ann. lii, pluribus ab annis ſalſedine in facie primum, in pectore deinde vexatus. Anno mdcclxvi cum eſſet *Puteolis*, ſenſim diſparuit ſalſedo; ex cujus retropulſione ardor magnus in mictione oriebatur. *Neapolim* regreſſus varia adhibuit remedia, inani omnia eventu. Morbus in diem augebatur; quapropter varios conſulvit Medicos, & Chirurgos, qui *ptiſanam* D. Kalak primum, deinde lacteam dietam, veſicatoria in cruribus, injectiones in urethram aquæ plantaginis, decoctionis inde hordei cum melle roſaceo, lapide medicamentoſo Crollii, & mercurio dulci præſcripſerunt. Recuperandæ ſanitatis ergo quid non perpeti, atque experiri, voluit? Verum praeter ſpem omnia. Eo ſenſim pervenit, ut præ aſſiduo, ac moleſto mejendi ſtimulo inſomnes duceret noctes, ululatibuſque ſummis in mejendo vicinos terreret, qui hominem tot preſſum cruciatibus ſummopere miſerabantur. Continuo lecto jacere cogebatur; nam aeque, ac ſtando recrudeſcebant dolores. Huic ſemicupia incaſſum miniſtrabantur, ipſumque *opiatum laudanum* aqua ſolutum, & in urethram injectum. A Nobiliſſimo rogatus Viro, cui ſerviebat, eum inviſivi, atque ad conſpectum hominis tam foede, atque undique afflicti, obſtupui. Serio perquirendo, cognovi, generatum fuiſſe a retropulſa ſalſedine ulcus fiſtuloſum in glande penis. Doloris ſitus, pus, quod urinam antecedebat, quodque glandis preſſione emittebatur, id manifeſte demonſtrabant. Videns incaſſum valentioria omnia

omnia adhibita fuisse remedia, suasi copiosos aquæ potus, ut urina non tam acris esset, injectiones in urethram decoctionis Cicutæ, illiusque extractum sub pilulari forma ad grana viginti mane sumendum. Bidui spatio simplici hac curatione mitescentibus doloribus, mea, & omnium, qui Aegri statum noverant admiratione (2), dormire is coepit, neque in mejendo amplius cruciatus adeo vehementes, neque tam gravis in mejendo stimulus. Die decimo lectum reliquit, & octo post dies alios, domo exivit. Post mensem ad consuetos rediit labores, non intermisso remedii usu, quo tres post menses penitus liberabatur a leviori illo, qui adhuc in mejendo supererat stimulo.

VI. Quae saluberrima vidi a Cicuta in internos corporis morbos effecta, summa fide retuli. Mira quoque apparuit Cicutae vis in morbos, qui externum corporis habitum afficiunt, quos hic eodem, quo supra, referam ordine.

Nolæ Adolescentula annorum quindecim phlegmatic temperamenti, a nono aetatis anno in dextera colli parte strumosum gerebat tumorem, gallinæ ovo similem. Quamvis anno decimo tertio menses primum fluxissent, indeque statutis redirent periodis, nulla tamen fuit in tumore mutatio. Post varia incassum advocata remedia, quinque annorum spatio, Cicutæ extracti usu quatuor post menses perfecte curata est (3).

Nolæ Juvenis tredecim natus annos, a nativitate in collo strumosos tumores quinque gerebat; ex quibus tres unica membrana inclusi videbantur, & in diem simul cum Juvene adolescere. Varia varii tum interna, tum exter-

(2) Cicuta in hoc casu Opii superavit vim: Opii injectiones ullum non attulerunt levamen; Cicutæ vero decoctio dolores mitigavit.

(3) Inchoatum est extractum a granis quinque, & in diem aucta fuit dosis usque ad drachmam unam.

externa plures per annos adhibuere Medici, ſed fruſtra remedia. Dedi ego Cicutæ extractum diebus ſingulis ad grana viginti, & ſuper affectum locum Cicutæ emplaſtrum applicavi. Horum uſu quatuor poſt menſes integre convaluit.

Nolæ in Cœnobio S. Claræ Perilluſtris Puella annorum novem, dum in utero gereretur, adeo vehementibus ejus Mater torquebatur convulſionibus, ut neceſſe fuerit, bis, vel ter ſingulis menſibus ſanguinis celebrare miſſionem. Peperit ſtatuto tempore Puellam, de qua hic ſermo, debilem admodum, ac decoloratam. Lactationis tempore in melius ire viſa eſt; ſed nunquam firma valetudo. Quamvis imbecillis, ſeptimo admittitur anno inter Moniales. Ineunte octavo, cruſta lactea eam tenuit, parvis circa collum, & gulam ſociata tumoribus. Anno MDCCLXVI *Martio* ineunte foetidus maxime ab ea defluxit humor; & qui parvi circa collum, ac gulam tumores erant, & numero, & mole augentur. Primis *Junii* diebus vocatus, ac inito conſilio cum optimo Profeſſore, cui demandata erat cura; retulit hic, tam *Caprillum* ſerum, quam *Viperinum* liquorem ab ortu lacteæ cruſtæ Puellæ abſque juvamine exhibuiſſe. Febris lenta aderat, macor ſenſibilis: & qui prius collum, ac gulam foedabant tumores, recenter tam ſub axillis, quam in utroque inguine nati videbantur. Qui ſub axilla erant dextera, ad nucum juglandium magnitudinem accedebant, duri, parum dolentes, atque immobiles: minori mole, nec dolentes, nec firmi qui ſub altera, atque ita pariter inguinales. In hac glandulari tabe Cicutæ extractum propinare ſtatuimus, tria nempe grana mane, totidemque veſpere, deſuper hauriendo *Vaccini* lactis uncias duas, cum quinque leviſſimæ infuſionis *ſarſæ parillæ*, ac corticis ligni *Guajaci*.

A ſuſceptæ curationis die fluxus minor, nec tam foetidus a lactea cruſta; tumores vero omnes eodem in ſtatu. Sub menſis exitum tam colli, ac gulæ tumores, quam

quam axillarum, & inguinum dolere cæperunt. Contusa Cicutæ folia superimponuntur, ac ejus extractum ad grana quinque pro qualibet vice præscribitur. Mitissima febris, coloratior Puella. Mense altero exeunte, tam colli, quam inguinales tumores vix conspiciebantur. Perfecte exsiccata est crusta. Qui sub axillis erant tumores, non minoris magnitudinis, sed mobiles videbantur. Eamdem prosequuti ad diem LXXV curationem, sensim quod supererat tumorum evanuit, nec amplius apparuit febris. Per integrum *Augusti* decursum ad grana duo extractum est persequuta Nobilis Puella. Perfecta curatio cum bona totius corporis nutritione, non sine nostra admiratione.

Ex hac observatione, gravioribusque aliis experimentis compertum habui, nullum in glandulares morbos, inque illos, qui a liquidorum alborum vitio fiunt, neque validius, neque efficacius esse præsidium, quam in Cicutae extracto.

VII. In foetida quoque, atque annosa ulcera miram sæpe exercuit Cicuta vim.

Prope *Nolam* in Oppido *Palma* dicto Juveni annos nato duodeviginti, tribus abhinc annis, post acutam febrem in anteriori tibiæ parte, latum oriebatur, & profundum satis ulcus. Quammultis (incassum omnia) usus erat ille tum interioribus remediis, tum exterioribus: neque ipse (quod mireris) *sublimatus mercurius frumenti spiritu* solutus, ad normam Doctissimi Swietenii præscriptus, profecerat hilum. His rebus gestis, graviores denique consuluit Chirurgos, qui cariem, vel corruptionem tibiæ suspicantes, Juveni indixerunt ossis denudationem, deinde abrasionem. Terrefactus me adiit, cui suasi, ut antequam ad difficilem nimis, ac molestam deveniret operationem, experiri vellet interne Cicutæ extractum; extrinsecus vero ejusdem plantæ fotus, quibus fausta in annoso ejus morbo sperabam. Lætus curam aggreditur, & adaucto intra dies

quin-

quindecim Cicutæ extracto ad drachmam unam, repetitis ter in die laudatis fotibus, pus mitius reddi visum est, neque adeo, ut antea foetens. Continuato remediorum usu per bimestre curriculum, perfecte curatus est, non sine Chirurgorum admiratione, qui triennii spatio varia artis praesidia contra eum morbum frustra advocaverant.

NOLÆ in Coenobio S. MARIÆ *Novæ* Nobilis erat Monialis annos nata septuaginta biliosæ temperiei. A quinquagesimo aetatis anno, quo menstruæ cessarunt purgationes, pruriginosis pustulis per utramque tibam vexari cæpit, quæ biennii spatio in lata satis ulcera mutabantur. Serosus ex eis emanabat humor, & adeo mordax, ut viciniam eroderet. Internis variis simul, ac externis usa est incassum per annos remediis, ut molesto, ac pertinaci occurreret morbo. Dum aliquantulum siccabantur ulcera (quod sex per annos *Vere*, ac *Autumno* periodice eveniebat), illico violentis prehendebatur febribus immanibus sociatis convulsivis motibus, quæ omnia evanescebant copioso subsequente ex ulceratis tibiis notati humoris exitu. At cum *Vere* anni MDCCLXVIII sub febris invasione livescebant ulcera, totaque crura rigescebant admodum, quæ omnia cessante febre tali pariter persistebant modo, non absque gangrenæ metu, statutum est post innumera alia inoperosa adhibita remedia Cicutæ extractum experiri a granis duobus mane, totidemque vespere, aucto sensim pondere ad scrupulum unum mane, & vespere ad grana decem. Octo mensium spatio Cicutam sumsit, eoque tempore coctum pus ulcera effuderunt, arctabantur, nec *Autumno* febris recruduit.

Tædio a longo Cicutæ usu affecta, jamque ab omni labe se credens immunem, Cicutam per integrum anni spatium neglexit; ast subsequente *Vere*, ac *Autumno* febri denuo corripitur iisdem supra notatis symptomatibus: qua de re perterrita unquam Cicutæ pilulas dimittere constituit, & tertius jam vergit annus, quo bona frui-

fruitur valetudine, crurumque ulcera ſanata obſervantur.

Neapoli in Regio S. Claræ Coenobio Religioſa erat ex illarum genere, quas *Converſas* dicunt, annos nata ſeptuaginta circiter, cui multis retro annis a clauſis in tibiis ulceribus crura oedematoſa videbantur. Menſe *Aprili* anni MDCCLXVIII mane rigore ſummo violenta corripiebatur febre cum ſomnolento comate. Noctu decrevit febris, ſomnolentum evanuit coma, & eryſipelas dextera in tibia apparuit. Veſpere die altero nova fiebat cum rigore febris acceſſio, abſque tamen ſomnolento comate, noctem quietam duxit, & die tertio eryſipelas totum occupabat crus ad genu uſque. Sanguinis miſſiones, & antiphlogiſtica varia remedia uſurpabantur, quibus die quarto ceſſavit febris; ſuppurabatur vero crus binis in locis, juxta genu ſcilicet, ac internum malleolum. A Chirurgo ſuppurata aperiebantur loca, quibus magna puris effluxit copia: verum quia poſt decem interdum dies, poſt ſexdecim alias recredeſcebat, quamvis mitis adeo, cum rigore febris, quæ aliis ſubſequebatur ſuppurationibus, totumque crus liveſcebat non abſque gangrenæ metu, conſtitui aliis paribus edoctus periculis Cicutæ uſu funeſtos praevertere eventus: ſumpſit ergo illam bis in die, mane, & veſpere a granis quinque, aucta ſenſim diebus ſingulis doſi ad ſcrupulum unum mirabili cum effectu; curabantur enim bimeſtri ſpatio ſinuoſa ulcera, nec amplius ullo alio in loco nova eveniebat ſuppuratio. Quamvis perfecte curata eſſet, perſequuta eſt nihilominus me ſuadente Cicutam, qua mirifice convaluere in ſenili corpore vires.

VIII. Neque ſine piaculo praeterire poſſum, quae a Cicuta vidi effecta in Veneream luem.

Vir gente *Romanus*, conditione *Cubicularius*, aetatis anno XXVIII duobus abhinc annis *Vindobonæ* virulenta inficitur gonorrhœa, & venereo ſiniſtro in inguine bubone. Paucos poſt dies a contracta lue diſcedere coactus eſt, neque ullum adhibuit in via contra Gallicum

mor-

morbum e medicina praesidium. Cum *Neapolim* venisset, caustico bubonem aperiri curavit, variaque ab Agyrta sumpsit pro gonorrhoea remedia. Sanatus credebatur, unde plures per menses crapulosam duxit vitam. Ineunte *Martio* anni MDCCLXVI, planæ maculæ, ephelidibus similes, per totum corporis habitum apparuere, ex quibus multæ visum summopere deturpabant; paucosque alios post dies rheumatismo corripitur, immanibus doloribus sociato, noctu maxime invalescentibus. Quia exposita manifeste confirmatam demonstrabant luem, & varia, eaque efficaciora remedia nihil boni attulerant, & e contrario in dextera tibia legitima exostosis apparuerat, statuitur, nulla posthabita mora, mercurialibus unctionibus Infirmum esse subiiciendum. Debitis præsidiis ministratum fuit remedium, quo maculæ corpus deturpantes, & exostosis evanuere; rheumatici vero dolores interdiu silebant, noctu tamen recrudescebant, præcipueque in tibia, ubi fuerat exostosis, enormes erant. Cel. Medicus vesicatorium super affectam partem apponi curavit; sed nulla inde in melius mutatio. Cum *Oeniponto* eum cognovissem, me adiit, & malorum audita serie, quæque usurpaverat remedia, suasi, ut noctu cubitum iturus, cataplasma ex recenti herba Cicutæ super tibiam apponeret, & mane, & vesperi pilulas sumeret ex Cicutæ extracti granis viginti pro qualibet vice, desuper hauriendo *Caprilli* lactis uncias quinque, quia summopere emaciatus erat. Quinta nocte mitescere cœperunt dolores, vixque elapso ab hac cura mense, perfecte sanatus est.

IX. ILLAS usque adhuc exposui morborum historias, & curationes, quas ipsemet peregi, prætermissis iis, quæ sunt ab aliis institutæ, ne quid pro aliena fide sponderem, quemadmodum primo hujus partis paragrapho sum professus. Mirabitur modo, neque immerito quisquis, dum de priori sententia me decederc videat, & alienam Cicuta peractam curationem in meum receptam librum legat.

legat. Verum quia ſequens obſervatio admiranda eſt, quippe quæ, & cancroſæ naturæ curatum ulcus exponit, & in publico, ac magno *Incurabilium* Xenodochio multis coram Medicinæ ſtudioſis, & Chirurgis peracta fuit ab ejus loci Medico *Dominico* CYRILLO in *Regia Univerſitate Naturalis Hiſtoriæ* P. O. P.: ideo eam meis adnectere non importunum duxi.

Vir annos natus quinque & quadraginta, athletici temperamenti, genere Villicus, ex parvo *Campaniæ* vico in Xenodochium venit ineunte *Septembri* ſuperioris anni. Cruciabatur ab ulcere cancroſæ naturæ, quod dexteram linguæ medietatem occupabat: eratque lingua tumefacta adeo, atque obdurata, ut loquelam interciperet. Præter hæc omnia conquerebatur pariter de continente in affecta parte dolore, qui noctu ſummopere intendebatur, tormento non abſimilis, quod exulcerato in ſcirrho evenire ſolet. Ulceris ſuperficies inaequalis, dura, multis interſperſa rimis obſervabatur. Fluebat continuo copioſum pus admodum olidiſſimum, ut procul adſtantium nares offenderet. Pertinaci, ac diriſſimo ut occurreretur morbo, ita curatio inſtituitur. Externe pars tangebatur *lapide infernali*, & abluebatur inde *aqua vegetabili* GOVLARDI; utque diris nocturnis occurreretur doloribus, deterſumque ſimul ſervaretur ulcus, ſæpius illud lacte fovebatur. Quod vero ad interna ſpectat remedia, poſt purgantem ex binis *ſalis cathartici Anglicani* unciis, cæpit æger diebus ſingulis mane pilulas aſſumere, ex drachma ſemis extracti Cicutæ, & ſcrupulo uno pulveris florum *Chamomillæ* confectas. Quindecim poſt dies ulceris ante lividus color, rubicundus erat, non multum foetebat pus, rimæque aequari incipiebant. Cicutæ doſis ad drachmam unam augebatur, aliaque externa recenſita auxilia continuabantur, quibus bimeſtri ſpatio curabatur.

DE
CICUTA
COMMENTARII
PARS TERTIA.

I. HACTENUS ea enarravi, quæ ex propriis observationibus nata vidi, quæque vel inde aliorum audivi confirmata periculis ab annis retro terdecim, quo toto tempore nostra non tantum Regione non defuere, qui acriter contenta voce contra Cicutam declamitarunt, aequioresque alii, qui illam probarunt, summisque laudibus ad aethera sustulerunt; verum etiam exteris in terris quamplurimi prodierunt libri, quorum multis laudatur, aliis velut venenum damnatur Cicuta: quapropter aegre me iterum in historicum, idque molestum sane, scribendi genus demitto: qua in re facillime veniam expecto ab iis, qui, quam arduum sit opus, non ignorant. Primo itaque proferam auctoritatem illorum, qui Cicutæ usum confirmant: neque illos, qui Cicutæ usum non probant, tacebo; verum quamplurimis animadversionibus exponere conabor, quo factum fuerit, cur multi contra Cicutam scriptis insurrexerunt.

II. POSTQUAM STÖRCKIUS anno MDCCLX, Doct. VAN SWIETEN suasu, suas edidit de Cicutæ efficacia primas observationes, affertur illico per totam *Europam* remedii fama, variisque in Regionibus non præjudicati fuere Medici, qui in veritate inquirenda quammaxime elaborarunt. Eorum series ampla est, & juvat singulas per Regiones eam exponere.

III. Anno MDCCLXII *Viennensis* Medicus *Maximilianus* LOCHER, *longiori vita dignissimus*, ut notat SWIETEN (4), librum edidit practicarum observationum, quo præter multa ad alia remedia spectantia, varios inde recenset casus, quibus apprime Cicutæ internus, externusque usus confirmatur. Vidit enim mirifice profuisse illam in cancroso ulcere superioris, inferiorisque oris labii (5); in narium ulceribus, artuumque ulcerosis escharis, permanentibus post antivenerei spiritus usum in homine venerea lue affecto (6); in fistuloso ossis sterni ulcere ex prægresso abscessu generato (7); in tibiæ cacoethico quatuor annorum ulcere, ex effusione ferventis aquæ nato (8); tumque in binis annosis pedis Phagaedenicis ulceribus (9), aliisque gravissimis morbis, qui apud ipsum, ne longior sim, videri possunt. Expertissimus Chirurgus *Ferdinandus* LEBER qui sæpius cum laudato LOCHER plerosque vidit Cicuta sanatos, eodem ipso anno utilissimum librum edidit de externo Cicutæ usu in Chirurgia Cel. STÖRCKIO inscriptum,

 quo

(4) *Comm.* tom. 10, §. 1477, *pag.* 151. Obiit anno 1768.

(5) *Libr. citat. pag.* 82. Dedit bis de die pilulas septem, quarum quælibet granorum duorum: ascendit inde sensim ad quindecim mane, totidemque vespere. Externe applicavit Cicutæ decoctum continuo. Post bimestre convaluit.

(6) *Pag.* 83. Decoctum Cicutæ super ulceratas escharas apponi curavit, naribusque turundas decocto madidas. Post mensem convaluit.

(7) *Pag.* 84. Dedit pilulas extracti Cicutæ sex bis in die, quælibet granorum duorum pondere, deinde sexdecim, tandem quindecim, & Cicutæ decoctum iniici sæpius curavit in sinus, & cavitates. Curabatur binos post menses.

(8) *Pag.* 85. Bis in die dedit pilulas septem, quarum quælibet ponderis supra notati, deinde novem, undecim, tandem quindecim. Decocto Cicutæ fovebatur ulcus, quod post quatuordecim hebdomadas consolidabatur.

(9) *Pag.* 86. Eodem, quo supra modo curabantur.

quo primum commendat illam ſub forma cataplaſmatis in duris tumoribus cute non adhuc rupta (10); deinde in late propullulantem fungoſam carnem coercendam vel ſolam Cicutæ pulverem, vel melle admixtam, aut Cicutæ extractum ipſo melle, aut tandem extractum aqua calcis ſolutum laudat, quibus ſi dolores nimii fuerint opii grana aliquot admiſceri ſuadet (11); & in ſinus, & fiſtulas aequales decoctionis hordei partes, & infuſi Cicutæ, addito roſaceo melle iniici, propriis probat periculis, deinde ſolum Cicutæ infuſum (12). Doctiſs. *Henricus Ioſeph* COLLIN, qui poſt quam Cel. STÖRCKIUS in Archiatrorum numerum receptus fuit, medicum annum, ſive diarium curationum, & medicarum obſervationum circa morbos acutos, & chronicos *Civici Viennenſis Pazmanniani Noſocomii* edere eſt perſequutus, hiſtorias unum, & quadraginta, ſumma fide, & doctrina deſcriptas affert (13), ex quibus apparet Cicutam ſolviſſe, vel ſuppuraſſe externos tumores, tum & internos viſcerum pariter, ab obſtructione natos; ſæpe ſcirrhos non admodum antiquos diſſolviſſe; ſcorbutica ulcera ſanaſſe ac omnia eiuſdem morbi ſymptomata, morbumque ipſum extirpaſſe (14); leniſſe cancri dolores, & rodentem ſaniem ſæpe in blandum pus convertiſſe, morbumque tolerabiliorem reddidiſſe iis, quibus *ob viſcerum labem, vel a nimia morbi diuturnitate viribus exhauſtum corpus, ſalutem*

(10) *Abbandlung von der Nutzbarkeit des Schierlings in der Wundarzneykunſt. Wien* 1762. *pag.* 20.

(11) Libr. cit. *pag.* 25.

(12) Libr. cit. *pag.* 29.

(13) *Noſocomii Civici Pazmanniani ann. med. tertius* part. 1 cap. 3, *pag.* 105 ad 296, *Vindobonæ* MDCCLXV.

(14) Loc. citat. *pag.* 301 Notat ibi: *in lue venerea, ſcorbuto, & ulceribus venereis, & ſcorbuticis, folia Cicutæ vaſe clauſo per ſemihoram decocta, optimo cum effectu, & æque ſecure, ac extractum eiuſdem plantæ exhiberi poſſunt.*

tem perfectam adferre nequisset (15); tum & summum fuisse medicamentum in lue venerea confirmata, quo dolores leniebantur, & sopiebantur, ulcera sanabantur, & corpus teterrimo malo feliciter liberabatur, dum *ob nimium a lue venerea labefactata viscera, antivenereorum princeps Mercurius sublimatus corrosivus in spiritu frumenti solutus exhiberi non poterat, vel quando illum ferre non poterant ægri* (16). In aliis *Germaniæ* locis mirifice profuit pariter Cicuta. *Francofurti* Cicuta sanabatur foemina, ab ingentibus in toto collo, & circa aures a longo tempore scirrhosis vexata tumoribus (17). *Mergentheimii* varios eadem curavit (18). *Halæ Svevorum* Medicus HEZEL, & Chirurgus VOGEL Cicutæ usu sanatum observarunt cancrosum inferioris oris labii ulcus in foemina annos nata duo, & quinquaginta (19); dexteri oculi amaurosim, & pedis malignum ulcus in viginti quinque annorum homine (20); pessima dexterarum parotidum ulce-

(15) Loc. cit. *pag.* 300.

(16) Loc. citat. *pag.* 298.

(17) Apud STORCK *libell. quo continuantur experimenta, & observationes circa nova sua medicamenta* cap. VIII, *pag.* 162, *Vindobonæ* 1765.

(18) Apud STÖRCK *lib. cit. pag.* 166.

(19) *Lib. cit. pag.* 166, 167. Datum fuit Cicutæ extractum octo granorum pondere mane, totidemque vespere. Quatuordecim post dies in melius vergebant omnia, & dupla Cicutæ quantitas propinabatur diebus singulis. Externe applicabatur Cicutæ decoctum cum *aqua calcis*, & parva *Sacchari Saturni* quantitate. Convaluit intra paucas hebdomadas.

(20) *Lib. cit. pag.* 168, 169. Extractum a granis sexdecim quotidie datum fuit, aucta octo post dies dosi ad grana viginti; postque paucas inde hebdomadas ad scrupulum unum mane, totidemque vespere. Ulcus fovebatur Cicutæ decocto, & *aqua calcis*; oculo vero applicabantur vapores decocti Cicutæ. Bimestri spatio sanabatur.

ulcera in Virgine annorum duodecim (21) &c. *Moguntiæ* Cel. ibi Medicus, & Professor STRACK Cicuta sanatum vidit cancrosum testiculum in trienni puero (22); turpem, latumque lichenem juxta nasum in Viro quinquaginta annos nato (23); cancrum, quod extremas duorum digitorum, & unius pollicis partes occupabat in alio annorum triginta (24); strumam thyroidoeæ glandulæ, difficilem, & cum sonitu efficientem respirationem, quæ motu vehementi corporis summopere intendebatur in octodecim annorum Juvene (25), idemque in alio annos agente viginti (26); & strumam pariter in Juvene duo, & viginti annorum tam latam, *quæ aliquam jugularium venarum portionem amplexa, infarctum sanguinis in capite effecit, exque eo in diem videndi facultatem amittebat* (27) &c. &c. Expertissimus Medicus *Joseph*

---

(21) *Lib. cit. pag.* 170, 171. Ægra Cicutæ pilulas deglutire non poterat; solvebatur ideo Cicutæ extractum cum syrupis, & cochleatim propinabatur. Ulceribus applicabatur *rosaceum mel* cum Cicutæ pulvere, & emplastrum de Cicuta superimponebatur. Paucos post menses curabatur.

(22) *Lib. cit. pag.* 174. Sumpsit Cicutæ pilulas octo mane, totidemque vespere. Lintea Cicutæ decocto tincta parti affectae applicabantur. Trimestri spatio convaluit.

(23) *Lib. cit. pag.* 178. Linteis Cicutæ decocto madidis affecta fovebatur pars, & diebus singulis extracti sumpsit drachmam unam. Curæ tempus non notatur.

(24) *Lib. cit. pag.* 178. Adhibuit ad drachmam unam diebus singulis Cicutæ extractum, & digita involuit linteis Cicutæ decocto tinctis. Bimestri spatio sanabatur.

(25) *Lib. cit. pag.* 181. Sumpsit diebus singulis extracti Cicutæ drachmam unam. Trimestri tempore convaluit.

(26) *Lib. cit. pag.* 81. Adhibuit Cicutæ extractum quatuor mensium spatio. Dosis, nec curæ tempus notatur.

(27) *Lib. cit. pag.* 182, 183. Sumpsit diebus singulis extracti Cicutæ drachmam unam. Quinque post menses convaluit.

Joseph POLZER *Schonbergæ* in *Moravia* Cicuta ſanavit in Viro quadraginta, & ſex annorum ſcirrhoſas infimi ventris obſtructiones, *qui non ſolum inſtar tympani monſtroſe tenſus, & reſonans, ſed & lapidis inſtar durus erat, & reſpirationem poſt paulo fortiorem motum impedivit, ſomnum inquietum reddidit, omnemque appetitum delevit* (28); & ſcirrhoſum alium tumorem ſiniſtro in hypochondrio lapidis inſtar durum in Viro quadraginta annos nato (29) &c. &c. Plures alias, quæ in laudato STÖRCKII libro habentur curationes in quamplurimis aliis *Germaniæ* locis a Cl. peractas Medicis narrare ſuperſedeo; eas enim tantum in medium attuli, quæ ad conſtitutum ornandum ordinem ſatis eſſe exiſtimavi.

Celeb. Auctores Actorum litterariorum *Lipſienſium* fatentur a *Cicutæ uſu quammaxime egregios vidiſſe effectus in ſcrophuloſis potiſſimum, aliiſque glandularum tumoribus inveteratis ſcirrhoſis, quin & cancroſis, adeo ut ejus uſu in praxi clinica neutiquam carere poſſe arbitrantur* (30). Celeb. TRALLES obſervationes de Cicuta comprobatas *Uratislaviæ* eſſe refert (31). *Strasburgenſis* Medicus *Project. Joſeph* EHRART mira de Cicuta vidit, & ſcripſit (32). *Georgius* HUDEMAN edito opuſculo de Cicuta,

(28) *Lib. cit. pag.* 192. Sanabatur trimeſtri ſpatio extracto Cicutæ, interpoſitis laxantibus *ex rhabarbaro, & ſale polychreſto*. Super ventrem apponebatur emplaſtrum de Cicuta. Doſis Cicutæ non notatur.

(29) *Lib cit. pag.* 194, 195. Adhibuit Cicutæ extractum, interpoſitis laxantibus, & ſuper tumorem appoſuit emplaſtrum eiuſdem plantæ. Poſt bimeſtre convaluit. Doſis Cicutæ non notatur.

(30) *Commentar. de reb. in ſcient. natural. & Medicin. geſt.* vol. XI, *part.* 2, *pag.* 240, *Lipſiæ* MDCCLXIII.

(31) *De inſit. variolar. vel admitt., vel repud. argum.* &c. queſt. X. *pag.* 234. cit. edit.

(32) *Diſſert. medic. de Cicuta* &c. *Strasburgi* 1764.

ta, *Helmstadii* pulcherrimas recenset curationes Cicuta peractas (33). In *Helvetia* mirifice profuit pariter Cicuta, & Doctissimus, & propter varia scripta Celeb. TISSOT præter ea, quæ alibi diximus (34), in nupero edito libro Cicutam quammaxime probat (35).

Egregius Cæsareus Chirurgus *Jo. Alexander* BRAMBILLA, cujus summam scientiam, & in arte dexteritatem cominus *Oeniponti* vidi, & in editis libris suspicio, dum anno MDCCLXIX *Neapolim* cum IOSEPHO II Augustissimo *Romanorum* Imperatore venit, se vidisse testatus est, externo, ac interno simul Cicutæ usu cancrum verum sanatum, & millenas se antiquatas scrophulas curasse emplastro ex una parte *Diabotani*, & duabus Cicutæ efformato, cujus applicatione vel resolutos fuisse tumores, vel suppuratos, quod ex solo *Diabotani* emplastro nunquam obtinere potuit; & tandem comprobavit Cicutæ efficaciam prædicto pariter anno hic mihi *Neapoli* Doctiss. CRANTZ, cujus hac super re sententia per edita scripta a tribus retro annis jam mihi innotuerat (36).

IV. SALUBERRIMIS enarratis effectibus, quas a Cicuta *Germani* observarunt, ad *Gallos* progredior, qui pariter prospero cum successu illam usurparunt.

In voluminibus Medicarum ephemeridum Cl. olim VANDERMONDE quamplurimæ extant Medicorum observatio-

(33) Vide *Alethophilorum quorundam Viennensium elucidationem necessariam epistolæ de Cicuta, quam Cel. HAENIUS scripsit Cel. TRALLES pag. 96, Vindobon.* 1766.

(34) Part. I. §. XXIV, *pag.* 38.

(35) *Trattato sopra le malattie a cui sono sogette le persone dedite a piaceri del Mondo pag.* 168, §. 114, n. 6, *Losanna* MDCCLXX.

(36) In materia medica voce *Cicuta* tom. III. *pag.* 60. cit. edit.

vationes ad rem de qua agimus pertinentes. D. LALLEMENT post sex hebdomadas, hepatis, lienis, & glandularum mesenterii scirrhosas sanavit obstructiones pilulis ex Cicutæ extracto, & pulveribus aperientibus (37). Cl. MARTEAV brevi temporis spatio, quadraginta annorum curavit Virum pilulis de Cicuta a schrofuloso humore sinistrum pedem, & brachium replente, ubi ulcera efformaverat: iisdemque pilulis e Mulieris collo strumas depulit; tum & Cicuta, & aqua *de Forges* dicta summopere profuit ictero, & hepatis scirrho (38). Bimestri spatio D. DESMILLEVILLE superioris palpebræ carcinomaticum tumorem perfecte curavit (39); & bimestri pariter tempore D. MAVPOINT absolute depulit scirrhum, ac carcinoma labii oris (40).

Dominicus CYRILLUS, in longa per *Galliam*, perque *Angliam* anno MDCCLXIX peregrinatione, *Parisiis* in Xenodochio *Charitatis*, observavit, Chirurgos ibi felici semper eventu adhibere Cicutæ emplastrum ad callosam dissolvendam duritiam, quæ sæpius in labiis malignorum ulcerum conspicitur; & D. MOLINELLI *Bononiensis*, Magni Viri filius, eidem diarium exhibuit curationis *Monspellii* a se peractæ cujusdam Mulieris, quæ a longo tempore scirrhosum tumorem sinistra in mamma gestabat (41) a suppressa menstruatione natum.

I V.

(37) *Iournal de Medecine* &c. *par M.* VANDERMONDE tom. XIII. *mens. Decemb.* 1760, *pag.* 511. *a Paris* 1760. Cicutæ dosis non notatur.

(38) Lib. cit. tom. XIV. *mens. Februar.* 1761, *pag.* 121. *Paris* 1761. Cicutæ dosis non notatur.

(39) Lib. cit. tom. cit. *mens. April.* 1761, *pag.* 322. Dosis Cicutæ non describitur.

(40) Lib. cit. tom. cit. *mens. Jun.* 1761, *pag.* 509. Deest assumptæ Cicutæ quantitas.

(41) Mulieri de qua loquitur a suppressa menstruatione ma-

V. In *Hispania* non defuere Medici, qui Cicutæ salutares vires pluries variis in morbis experti sunt. *Casimirus* Gomez Ortega in sæpius laudato commentario, historiam affert curationis Cicutæ extracto peractæ pertinacis quatuor annorum cancrosi ulceris majoris canthi sinistri oculi in Ruricula phegmatici temperamenti, annorum circiter triginta (42); Obstetricis sævissimis a quinque mensibus abdominis cruciata doloribus, qui vulgarium medicamentorum usu, nedum minui, sed etiam augeri videbantur (43); Monialis consistentis ætatis, & san-

magnus sinistra in mamma oriebatur tumor. Immanibus cruciabatur in parte doloribus, & debilitate corporis summa, motusque hebetudine propinqui brachii. A parva quantitate assumere coepit Cicutæ extractum, & sensim dosim auxit ad nonaginta grana diebus singulis, eiusdemque plantæ emplastrum mammæ apposuit. Post paucos a remedii usu dies apparuerunt menstrua, & tumor sensim imminuebatur, qui bimestri ab usu Cicutæ spatio perfecte evanuit, menstruusque fluxus in naturalem redactus est ordinem. Illud mirabilem hanc reddit observationem, quod eodem remedio, eodem pariter tempore sanabatur ab insigni macula super pellucidam corneam, qua laboriosus reddebatur visus.

(42) *Oper. cit.*, cap. 5, *pag.* 26, *histor.* I. Auctori curationis historia communicata fuit a *Laurentio* Rolandio Castrensi Protochirurgo, & in Regio Chirurgorum Collegio *Barcinonensi* Propræside, & Professore. Dedit initio extracti Cicutæ granum unum mane, & vespere, & superbibendam præbuit lactis libram, decocto cichorei sylvestris temperatam. Post triduum dedit grana duo mane, totidemque vespere, deinde quatuor bis in die; tandem adaugendo diebus singulis granum unum mane, & vespere, pervenit ad drachmam unam. Trimestri spatio convaluit.

(43) Loc. cit., *histor.* III, *pag.* 29. Peracta fuit curatio ab *Antonio* Herrero Familiæ Reginæ olim Viduæ *Elisabethæ* Farnesiæ Medico, ac Regiæ Academiæ Medicæ a secretis. Dolenti parti applicari jussit cataplasma ex herba Cicutæ; inter-

ſanguineo lymphatici temperamenti, quæ a menſtruis ſenſim deſtitutis evacuationibus, durus, nec ita parvus in liene primum oriebatur tumor, deinde in variis meſenterii glandulis, & ipſo tandem in utero plures ſcirrhoſi tumores efformabantur, Limoniorum magnitudinis ſuccreſcentes, qui ſucceſſu temporis in cancros abierunt (44); Matronæ annorum duo, & ſeptuaginta, cancro dextera in mamma vexata, cachexia, urinæ ſuppreſſione, continua febre, leucophlegmatia, inappetentia, & vigiliis (45); Mulieris duriſſimo ſcirrhoſo affecta tumore, tranſverſis vertebrarum apophyſibus adeo firmiter adhærente, ut extirpatio nullo pacto inſtitui poterat, & propter tumoris ſitum plexu brachiali com-

---

terne vero dedit pilulas extracti eiuſdem plantæ. Poſt dies circiter viginti domo exivit, *& ſpatiari ad libitum percommode licuit*. Pilularum doſis non notatur.

(44) Loc. cit., *hiſtor.* IV, *pag.* 30. *Joannes* LOPEZ Familiæ Sereniſſimi Catholici Regis CAROLI III Chirurgus, curationem inſtituit. Trium dierum ſpatio mane, & veſpere dedit extracti Cicutæ granum unum, & deſuper infuſum florum ſambuci; deinde quatridui ſpatio eodem modo grana tria; poſtremo diebus ſingulis mane, & veſpere auxit extracti granum unum uſque ad grana quadraginta. Quatuor poſt menſes perfecte convaluit.

(45) Loc. cit., *hiſtor.* V, *pag.* 31, & 32. A *Franciſco* BONILLO Regiæ Familiæ Chirurgo, curatio inſtituta fuit. Sex per dies dedit extracti Cicutæ granum unum mane, & veſpere; abſcidit deinde cancrum, pondere ſex librarum. Septimo ab inſtituta curatione die, exhibuit extracti grana tria mane, & veſpere; & ob imminentis diarrheæ metum, dedit inde bis in die extracti Cicutæ grana quatuor, cum totidem extracti corticis Peruviani; tandem diebus ſingulis mane, & veſpere extracti Chinæ Chinæ grana quatuor, & Cicutæ octo. Poſt diem ſeptuageſimum a cancro, & aliis, quibus præmebatur morbis, convaluit.

presso, *paralysis propinquo brachio supervenerat* (46); Viri plusquam sexagenarii sanguinei, & robustissimi temperamenti, inschuria detenti vexicali, a duro, & æquali tumore, hypogastrica præsertim occupante regione nata, & ad umbilicalem inferiorem usque partem pertingente, *vbi erat quatuor ferme digitos latus: latior in medio: ad extremum vero inferius vix trium digitorum latitudinem aequabat* (47); Extructoris coementarii annos nati circiter quadraginta, gutta serena utroque in oculo vexati, ab opticorum nervorum obstructione producta (48); tum trium, & triginta annorum marmorum Levigatoris imperfecta gutta serena laborantis (49).

VI.

(46) Loc. cit. *hist.* VI, *pag.* 33. Perficiebatur curatio a *Jo:* GAMEZIO Regio Anatomes Professore, & Regiæ Familiæ Medico. Cicutæ extractum methodo *Storckiano* datum fuit, externis resolventibus, & aperientibus non intermissis. Mensis circiter spatio convaluit.

(47) Loc. cit. *hist.* VIII, *pag.* 35, 36. *Raphael* FLORES *Belgicorum* Regii Corporis Chirurgus, curationem instituit. Liberato a paroxysmi symptomatibus Ægro balneis, sanguinis missione, uva ursi, ac aliis idoneis remediis, exhibuit Cicutæ extractum parva primum dosi, quæ sensim ad grana octo aucta fuit. Post mensem tumor valde imminutus erat, & sponte remedium intermisit Æger: at recrudescente morbo ob nimiam corporis exagitationem, & dietæ errores, Cicutæ extractum denuo sumpsit, quo tandem perfecte sanatus est.

(48) Loc. cit. *hist.* IX, *pag.* 36, 37. Curatio peracta fuit a *M. D. Magino* ANGELICHIO. Prescripsit diebus singulis extracti Cicutæ drachmam semis, quo paucos post dies visum omnino recuperavit.

(49) Loc. cit. *hist.* 10, *pag.* 37, 38, 39. Auctori curatio communicata fuit a *Francisco* VILLAVERDE Regiæ Classis Protochirurgo, & in *Gaditano* Chirurgorum Collegio Professore. Initio dedit Cicutæ extractum parva dosi, quæ sensim ad scrupulos duos mane, & vespere adaucta fuit. Post mensem dexter oculus penitus sanatus erat. Sinister continuato remedii

VI. Apud *Britannos* profpere Cicutam ceffiffe iamdiu legeram : legeram pariter in recenti *Londinenfi Difpenfatorio*, haud multum profuiffe *Londini* : quapropter anceps hærebam , eo magis , quia ibidem addebatur id fortaffe ex non bene præparato extracto eveniffe (50) . Nuper vero cum *Cel. Doctiffimufq.* Eques *Baronettus Jo*: PRINGLE *M. Britanniæ* REGINÆ Medicus primum meum humaniter probaffet *de Cicuta Commentarium* , CYRILLO teftatus eft , laudabiles fe vidiffe ex Cicuta effectus in ftrumofis tumoribus ; & Cel. Chirurgus *Londinenfis* SMALL in obfirmatis ophthalmiis palpebrarum ulceratione fociatis , præcipue dum morbus fcorbuticis fupervenit hominibus , virofos Cicutæ fotus crebro in diem , profpero femper adhibuit eventu, noctuque cubitum ituris Ægrotis lintea Cicutæ decocto infufa affectæ parti impofuit ; eademque utitur, felici fucceffu, methodo in ftrumarum curatione (51).

VII. Ad noftram tandem *Italiam* defcendo, qua præter ea, quæ ipfe edidi , unus tantum ad hunc ufque diem fuit Medicus , qui fuas de Cicuta obfervationes evulgavit . Percurro tamen Cl. Virorum teftimonia ad rem pertinentia , quæque referre confultum duxi , ut Cicutariæ rei ftatus appareat in hac Mundi parte .

Antonius Maria RIPAMONTI *Mediolanenfis* Medicus, fpecimen edidit falutarium Cicutæ effectuum . Quamplurimas is refert Cicuta peractas curationes, inter quas emi-

medii ufu , & ad drachmam unam eodem quo fupra modo, adauctum , in melius ire vifus eft , neque in dubium revocabatur perfecta curatio .

(50) *The New Difpenfatory* &c. &c. *The fecond edition. Pharmaceutical preparation extract of Hemlock pag.* 401. *London* MDCCLXV.

(51) Ex CYRILLI relatione .

eminet illa exulcerati cancri perfecte curati, cujus veritas a quamplurimis testatur Viris; utque nullus esset dubitandi modus, Auctor Infirmi nomen, domumque adposuit (52).

Ad Italiam pariter spectat edita observatio a Doctiss. *Classico Batavo* Medico *Ludovico* ROUPPE in calce absolutissimi operis *de Navigantium morbis*. Dum enim Vir Cl. mense *Decembri* anni MDCCLXII in *Melitæ* portu cum bellica Navi esset, vocabatur ad *Hierosolymitanum* Equitem, cui horrendus cancer dexteram totam genam, superioremque lateralem colli partem occupabat; ejusdemque naturæ tumores alii sub axillis, in epigastrica, ac umbilicali regione erant. Externis Cicutæ fotibus, ac interno ejus extracto a granis quatuor, aucta sensim dosi ad grana triginta, diebus singulis, tres post menses summa omnium admiratione in melius vergebant omnia, *& de restitutione ægri in sanitatem tunc nemo amplius dubitabat*. In hoc felici rerum statu defecit extractum, nec aliud comparari potuit; qua de re multos post dies ruerunt denuo in pejus omnia, & periit æger, qui certe a diro resurrexisset morbo (53).

Celeb. MAGNI DUCIS *Hetruriæ* Chirurgus *Joseph* VESPA cum *Neapoli* anno MDCCLXVIII degeret, mihi sæpius affirmavit, a Cicutæ usu salutares semper se vidisse effectus; mirabilemque narravit historiam incipientis guttæ serenæ hoc remedio curatæ: imo addidit, quod in conclamatis mammarum cancris, in quibus, ut cita averteretur mors, dubiam tentavit extirpationem, semper ante operationem, patientium præparavit corpora ma-

(52) *Saggio degli effetti della Cicuta* &c. *Milano* 1766.

(53) *De morbis navigantium* &c. *accedit observatio de effectu extracti Cicutæ STÖRKIANO in Cancro pag.* 327. *ad* 338. *Lugduni Batavorum* MDCCLXIV.

magnis Cicutæ dosibus, idque duplici ex causa; prima scilicet, ut humorum corrigeretur crasis ab assidua cancerosi humoris absorptione coinquinata; altera, ut gangrenæ averteretur metus post peractam operationem.

Doctiss. Vir *Paulus* DE VALCARENGO *R. Imper.* Archiater *Sereniss. Archiducissæ* MARIÆ BEATRICIS *Estensis*, per epistolam, salutiferum Cicutæ usum mihi probavit; & *Celeb.* Professor *Bononiensis* VERATTI, cui primum de Cicuta miseram Commentarium, meæ rescripsit epistolæ, ipsum, variosque alios ibi Medicos diversis in morbis adhibuisse Cicutam, bonumque in aliquibus vidisse eventum; & tandem Cl. *Carolus* KRAPF, *Regii Saxoniæ Principis* ALBERTI, *Ducisque Teschen* Archiater, varia egregia ex Cicuta effecta *Tergesti* vidit, ubi plures per annos medicinam fecit. Ipse enim interdum dedit recentem Cicutæ succum linteo expressum, & jusculo, vel theæ potui admixstum; viditque tunc penetrantiores, promptioresque esse Cicutæ vires, quam in ejus extracto (54); & præter quamplurimas, quas notat, observationes, *a Cicutæ decocto in vase clauso, & per cannulam plus minus longam vapore ejus excepto, & loco affecto immediate applicato, pulcherrimos vidit effectus in scirrhosis mammarum tumoribus, glandulis subaxillaribus induratissimis, scirrhosa uteri, præsertim orificii ejus, duritie jam carcinomatosa* (55).

VIII. Ex adhuc expositis salubribus Cicutæ apud varias Gentes viribus, quisque videt, non aliis nos egere testibus in tanta hac super re veritatis luce. Ita certe, fateor, evenisset, nisi extarent homines, *qui ea, quæ*

(54) Apud STÖRCK lib. cit. *pag.* 233, 234. Ad virosum minuendum odorem, addidit citri elæosaccar, vel corticis eiusdem syrupum.

(55) Lib. cit. *pag.* 237.

quæ ab aliis sunt inventa, inhonestorum verborum artificio contaminare contenderent, quemadmodum HIPPOCRATES scripsit (56). Princeps inter eos Cl. *Vindobonensis* Primarius Professor *Antonius* DE HAEN fuit, *Doctissimus* ceteroquin Vir, alienæ vero famæ contemtor, suæque nimium appetens, qui cum STORCKIUM ab eo odisset tempore, quo primum edidit *annum medicum* (57), statim ac vulgavit, probante, ac suadente *Ill.* SWIETEN, Cicutæ prima sua pericula, atque earum rerum, quæ superiore anno scripserat, oblitus (58), credidit ea, qua pollet ingenii acie, hac abrepta occasione, res suas feliciter perficere, ingenuumque STORCKIUM destruere, aliorumque opinioni detrahere. Agebatur de remedio

(56) HIPPOCRATES lib. *de artæ*. Oper. tom. 1, *pag.* 2, num. 40, ad 50, cit. edit.

(57) STÖRCKIUS in primo *anno medico* scripserat se vidisse criticas miliares, & petechias; contra vero HAENIUS eo tempore contra totum medicum Orbem, & contra veros artis Magistros docere coeperat miliares, petechiasque criticas non dari, omnesque factitias esse, a perversa medendi methodo generatas. In omnibus *medendi rationis* Tomis, *Thes. de febr.* &c. hæc quæstio ventilata observatur; quorum decimo contra *Cl. Doctissimumque* PRINGLE insurgit, qui in altera, & tertia *de castrensibus morbis* editione animadversiones adversum suum systema adiunxerat. Non est res huius loci, nec placet me huic immiscere quæstioni. Quid de petechiarum, aliarumque exanthematum natura sentiam, variis editis opusculis exposui. Vidi enim, & notavi petechias natas ex perversa medendi methodo, ex morbi intensitate: vidi morborum initio exanthemata post purgantem, aut vomitorium evanescentia: vidi interdum veras criticas petechias diebus criticis erumpentes, symptomatum omnium remissione.

(58) In quarta *rationis medendi* parte, anno MDCCLIX edita, *cap.* VIII, scribit: *Helleborus, Phellandrium, Cicuta, Solana varia, Belladonna, Hyoscyamus, & id genus alia noscuntur interno, externove usu, noxiæ Plantæ non esse* &c.

dio ex planta præparato, quam ignarum Vulgus præjudicata opinione venenum credebat: confiſus ergo futili huic ſpei ubique percurrere, & Cicutam damnare coepit, & Profeſſoris oblitus oneris, atque honoris, plures per menſes ex Cathedra contra Cicutam tantum declamavit, eoque pervenit, ut toedio tandem affecti Auditores, apud Cel. *Medicæ Facultatis* perpetuum Præſidem VAN SWIETEN conquererentur, qui HAENIO hac ſuper re ſilentium indixit (59). Nihilominus HAENIUS literas variis ſcripſit in locis, bellumque contra Cicutam recruduit. Doct. TRALLES occultæ epiſtolæ lineas aliquot evulgavit, Medico *Celſiſſimi Principis* DE SULKOWSKY ſcriptæ, qua Cicutam ut ineptum damnabat remedium (60); & Ego in meo per *Italiam* itinere plures hujuſmodi vidi literas, quibus contra Cicutam declamabatur. Extat pariter HAENII ad TRALLESIUM epiſtola de Cicuta (61), cui *Alethophili* aliquot *Viennenſes* neceſſariam vulgarunt prædictæ epiſtolæ elucidationem, lectu dignam (62), ubi HAENIUM fideliter expreſſum, fuſeque conſutos ab illo contra Cicutam dolos habemus; quamque neſcio, quare ejus Amici, qui *Patavii* rurſus curarunt ſuam edi epiſtolam, elucidationem pariter illam non edidere (63).

(59) Vide *Alethoph. quor. Vienn. Elucid. pag.* 23.

(60) *De inſit. variol. vel admittit., vel repud. argum.* &c. queſt. x. *pag.* 235. cit. edit. Epiſtolæ HÆNII verba ſunt: *Candide fateor centum, ac decem experimenta a me capta ita me fefelliſſe, ut palam teſter, nemini profuiſſe, plures in peius lapſos eſſe, eiuſdemque continuato ſub uſu octo periiſſe, concluſi Cicutam ineptum eſſe remedium.*

(61) Edita fuit *Vindobonæ* anno MDCCLXV.

(62) Evulgata fuit typis DE TRATTNERN *Vindobonæ* anno 1766. Vide §. 3, not. 33 tertiæ partis, *pag.* 64.

(63) Edita fuit *Patavii* anno MDCCLXVI.

Ex iis igitur & privatis, & editis, perque *Europam* disseminatis epistolis præcipue factum esse credo, ut multis inde in locis varii, re non bene perpensa, aut HAENII fisi decipientibus verbis, adversus Cicutam insurrexissent.

IX. Primus, quod sciam, qui scripsit, Cicutam, parva etiam dosi exhibitam, damnosam esse, *Anglus* Chirurgus *Riccardus* GUY, fuit (64); & in *Italia* eodem pariter anno *Jacobus* de SCOVOLO *Patavinus* Professor, licet *ab interno Cicutæ usu noxam nullam nasci viderit*; affirmavit tamen, *nullum ex aegris sanatum vidisse* (65), *quibus Cicutæ extracto opem ferre curaverat*. Physicus *Provincialis* LANGE *Helmstadii* dissertationem edidit, qua refert, ad drachmas duas dedisse per annum Cicutæ extractum, in scabie, amaurosi, cataracta, & glandularum obstructionibus absque ullo felici eventu: imo notat, varia supervenisse mala iis, qui eam usurparunt; prostratum scilicet appetitum, acutos pectoris, urinariarum viarum, capitisque dolores, vertigines, tussim, corporisque maximam debilitatem (66); & HIRSCHELIUS proprio scripto confirmare pariter conatus est, Cicutam ineptam, imo noxiam, venenatamque plantam esse (67). Eruditiss. TRILLER, quamplurimis in libris nactus occasionem, contemptu summo de Cicuta scribit (68); & *Pa-*

(64) *Practical observations on Cancers and disorders of the breast. London* 1762.

(65) In epistola ad Comit. RONCALLI PAROLINO. Vide *Medic. ab Europ. sapient. reformat.* 1762.

(66) *De dubiis Cicutæ vexatis* &c. *Helmstadii* MDCCLXV.

(67) *Observat. de hodier. remed. Venenat.*, *Mercur. sublim. et Cicut.* &c.

(68) Vide præfationem primi voluminis *opusculorum medicorum, ac medico philologicorum* &c. edit. *Francof.*, & *Lips.* anno CIƆIƆCCLXVI. *pag.* XVI. Differt. *de nociva cancri extirpandi*

& *Patavinus* Auctor præfationis, HAENII epistolæ appositæ, ejus partes amplexus, scribere non erubuit, *delirium esse, quod quorumdam mentem invasit de interno Cicutæ usu* (69). Cl. Vir in edito utilissimo, omnique ex parte absoluto opere, Cicutam pariter dixit hominis venenum, barbigerarumque pecudum alimentum, ut LUCRETIUS cecinit (70); & in libro nuper *Venetiis* recuso, notatur, Cicutam interne ob venenatam indolem nullo in morbo usurpari (71). Cl. *Anglus*, exque *Regia Societate*, & *Londinensis* Xenodochii S. BARTOLOMEI Chirurgus POTT, in edito *de hydrocele* libro, historiam refert scirrosi testis, cui post *Solani* (72) absque lauda-

 bili

di ratione §. XII. eod. vol. *pag.* 73. Prefat. secundi voluminis *pag.* 8. Epistol dissert. *de vera exanthematum miliarium differentia ad Medicum Cæsareæ Aulæ MOLINARIUM vol.* 2 *pag.* 322.

(69) In præfationis initio.

(70) *Ricerche Fisiche sopra il veleno della Vipera di Felice* FONTANA pag. 47 *in Lucca* MDCCLXVII. Confer hic LUCRETII locum §. IV primæ partis expositum, *pag.* 5.

(71) *Supplemento al Dizionario di Sanità tradotto dal Francese del Dotter Gio: Pietro* FUSANACCI tom. IV, pag. 27, *in Venezia* MDCCLXXI.

(72) *Solanum furiosum* nos *Belladonnam* dicimus, LINNAEVS, cumque eo Botanici recentiores fere omnes, *Atropam caule herbaceo, foliis ovatis integris*. Cel. GESNERUS *epist.* lib. I. *cap.*34 ex succo baccarum *Solani* syrupum conficere docet, illiusque parvum cochlear laudat ut efficacissimum remedium in dysenteria, fluxionibus, doloribusque. Cl. *Michael* ALBERTI *Solanum* ut specificum remedium in curandis cancris commendavit in Thesibus *De Belladonna tamquam spec. in can. praes. occul.* editis *Halæ* 1739. *Groningensis* Professor *Tiberius* LAMBERGEN inaugurali in dissertatione *Groningæ* edita anno 1754, ephemeridem sistit persanati carcinomatis usu *Belladonnæ*, quod in proprio prius corpore, GESNERIANO more, expertus fuerat, ab Eximio HALLERO *disp. pract.* tom. 2. *pag.* 1. inclusa. Dedit ipse scrupuli unius infusum hebdomadae spatio; in

bili eventu usum, frustra pariter adhibita Cicuta fuit (73); & quamvis alio simili pene morbo nihil pariter profuisset (74); notat tamen deinde internum, externumque sedulum Cicutæ usum per binos, & ultra menses scirrhoso in teste, suppurasse tandem illum (75). Cel.

---

in universam vero curationem siccæ plantæ drachmæ sex consumptæ fuere; & *Christianus Hendricus* VAN JUCHEN in *dissert. medic. de Variolis, atq. action. miasmatis variolosi*, edita *Lugd. Batav.* MDCCLV, cap. V, §. 11, *pag.* 43 ex observationibus *Friderici* WINTERI Medicinæ in Academia *Lugduno-Batava* Ordinarii Professoris, notat sequentia: *Belladonnæ pauca grana per menses aliquot sub infusi forma assumpta, non raro inveteratos glandularum tumores resolvunt, qui si a veris scirrhis differunt, a nemine saltem distingui possunt*: contra vero *Anglus* Chirurgus GATAKER inefficacem eius vim, imo noxiam in cancris, plurimis demonstravit periculis peculiari in libro, cui titulus *Observations on the internal use of the Solanum* &c. *London* 1757; eodemque anno Cel. pariter *Londinensis* Chirurgus *William* BROMFIELD in libro practicarum observationum *de Solano*, ac *Belladonna*. Cl. attamen VANDENBLOCK in periodico libro inscripto *Journal de Medicine*, *Chirurgie* &c. tom. XIV. edit. anno 1761 probat *Solani* vires, & notat, Cicutam præferendam esse *Solano*, dum in cancro putredo, aut gangrena adest; contra vero ubi corrodens extat acrimouia, & fungosa caro excrescit *Solanum* Cicutæ anteponendum. Plantæ dosis est gran. 1. aut 2, quæ infunditur in unciis quatuor, vel quinque aquæ fontis, dictaque quantitas diebus singulis mane ieiuno ventriculo sumitur. Propria experimenta non habeo; quis autem plura desiderat adeat Doct. CRANTZ *mater. medic.* tom. 3, *class. secun. venenor. stup. pag.* 55 ad 57 cit. edit.

(73) *Treatise on the ruptures and hydrocele* cas. 17, *pag.* 120, *London* 1767.

(74) Loc. cit. cas. 18, *pag.* 122. Adhibita fuit Cicuta, deinde et *Solanum*; a Cicuta vero nihil expertus fuit Æger incommodi, *Solanum* contra illum summopere turbavit. Quoniam morbus a Gallica oriebatur lue, mercuriales litus tandem illum depulerunt. Vide pariter cas. 41. *pag.* 298, & *pag.* 293.

(75) Loc. cit. cas. 43, *pag.* 302, 305.

Cel. Vir *Jo*: ASTRUC *Galliarum* Regis a consiliis Medicus, & si scripsisset Cicutæ extractum interne diebus singulis ad triginta grana sumptum nullum gravem produxisse incommodum, imo fuisse valde mitigatos cancri dolores, & imminutum tumoris volumen (76); in posteriori tamen ejusdem operis edito volumine, notat, *incassum pluries in scirrhis, atque cancris Cicuta tentata, eiusdem remedii inutilitatem cognovisse Clinicos* (77). Cl. olim MORGAGNI Discipulus *Jo*: *Verardus* ZEVIANI, Medicus nunc *Veronensis*, nuper, post quam affirmavit Cicutam veneficam esse, addit, melius esse in cancris ab ea, aliisque remediis, ut *Belladonna*, *Sublimato corrosivo*, abstineri, quæ quamvis parca data dosi, & prudentia, veneficas suas qualitates explicant, & necant, quemadmodum plura exempla ipse vidit (78).

§. X. HÆC sunt, quæ de Cicuta variis editis libris, varii in medium protulerunt Medicinæ Scriptores; unde patet, Medicos, qui Cicutam adhuc non ministrarunt, incertos hærere, quid de illa sit affirmandum; præsertim si ii animadverterint Celeberrimorum, optimeque de Medica Republica meritorum Virorum inter se opiniones non consentire. Fateor, & notavi quoque, me in eadem olim fuisse navi (79); at vero diuturno remedii usu, varia Auctorum lectione, ac longa meditatione, verissima esse PLAUTI verba sum expertus (80)

Pluris est oculatus testis unus, quam avriti decem:
Qui audiunt, audita dicunt: qui vident, plane sciunt.

inde-

(76) *Tract. de morb. mulier.* a Gallico sermone *Venetiis* Latine versus *part.* 1, lib. 2, cap. VII, *pag.* 226 *Neapoli* MDCCLXIX.

(77) *Oper. cit. part.* 2 lib. IV, cap. VII, *pag.* 46.

(78) *Dei morbi purulenti del corpo umano* &c. part. 2, *cap.* XII pag. 17, *Verona* CIↃIↃCCLXXI.

(79) Vide §. XXII. primæ partis, *pag.* 29, & 30.

(80) *Trucul.* act. 2, scen. VI. *vers.* 8, & 9, edit. *Coloniæ Allobrogum* anni MDCXXII, *pag.* 887.

indeque novi, id Cicutæ accidisse, quod statis temporibus aliis contigit remediis. Quis enim ignorat quid de *Magnesia nitri*, & olim, & nuper scriptum sit (81)? quid de *Stibio fixo* (82), *Kermes minerali* (83), *Cinnabari*

(81) Cel. HUNDERTMARK quamplurimos enarravit, qui *Magnesiæ* usum summopere celebrarunt; & deinde *Scotus* Medicus *Joseph* KLAK in *diss. de humor. acid. a cib. ort.*, *&* *magn. alb.* edita *Edinburgi* 1754 quammaxime illam laudat. Contra vero NEUMAN in *prælect. chim. part. V.*, & GMELIN in *diss. de Botan.*, *&* *Chem. ad prax. medic. appl. Tubingæ* 1757 contra eius in praxi usum scripserunt. Vide CRANTZ *mater. med.* tom. 2, *pag.* 102, TRILLER *dispens. univ.* part. 2, *pag.* 391 cit. edit. Nuper declarationem vidi in *Anglia* editam, ubi *Magnesiæ* laudes exponebantur, ægritudinesque, quibus prodest, enarrabantur.

(82) Vide librum *Galli* Medici *Guidi* PATINI, cui titulus est *La Stimmimachie, ou le grand Combat des Medicins modernes touchant l' usage de l' Antimonie a Paris* 1656, ubi *Batavorum*, *Gallorumque* medicorum iurgia, ac lites pro stibio superiore seculo natas narrantur. *Stibium* paratur ex *Antimonio* cum tripla nitri copia combusto, & massa alba, dura, quæ post refrigerationem remanet, crucibulo exempta teritur in pollinem, & summum est remedium ad spissitudinem pituitosam, & inflammatoriam resolvendam; nostris vero in officinis abluitur omne salinum affusa pluries fervida aqua, donec superest combusta sola calx *Antimonii*, & tali asservatur modo. Saepius incassum contra receptam praxim cum summo Chemico, ac Medico BOERHAAVIO clamavi, quod *non opus est tanta cura, ut sollicite liberetur nitro fixante hoc Stibium diaphoreticum: non facit anxietates, nauseas, vel vomitus, sed benignam stimulationem, & plus mali metuendum est a calce abluta, iners, noxia, carens omni actuoso, carens omni bono, quod prius adhærescebat*. Vid. *Elem. chem.* tom. 2, *proc.* CCXVII. & CCXVIII.

(83) Quamvis superiore seculo *Jo. Ridolfus* GLAUBER Cel. *Amstelodamensis* Chemicus, PARACELSUS sui temporis dictus, & LEMERY editis operibus multas descripsissent *Antimonii* præparatio-

bari (84), *Mercurio*, eiusque variis præparationibus, *Æthio-*

tiones plus, vel minus huic remedio similes; usus tamen hujus remedii in Medicina ineunte hoc seculo in *Gallia* invaluit, & *Kermes* appellatum fuit a coloris similitudine cum *Kermes* vegetabili. Primo *Carthusianorum* pulvis dicebatur, quia *Carthusianus* quidam Pharmacopola F. *Simon* a quodam Chirurgo LIGERIE dicto *Kermes mineralis* præparationem cum accepisset a *Germano* Pharmacopola Cel. GLAUBERI discipulo ei communicata, & cum mirabilem ex ejus usu effectum vidisset in sui ordinis Monacho pectoris morbo affecto, a Medicis pro desperato habito, ideo remedii fama divulgata fuit, & *Carthusianorum* pulvis dictus fuit, quia ea tantum vendebatur Officina. Dux ORLEANS *Galliæ* Regni *Regens* prospero rerum eventu permotus anno 1720, dato pretio, REGIS nomine, a memorato LIGERIE remedii præparationem acquisivit, ac pro publico bono evulgavit, cui nomen dedit *Pulveris Alkermes*, aut *Aurifici mineralis ad mentem* GLAUBERI. Vide *Encycloped.* tom. IX. art. *Kermes mineral.* pag. 98, & 99, citat. edit., & *Dictionnaire de Chym.* &c. tom. I, art. Kermes *miner.* pag. 610, a *Paris* MDCCLXVI. Multos habuit hoc remedium inimicos, & varia de ea dicta sunt, uti videre est in *act. Academ. Scient.* anni 1720; at deinde omnes pene Europæ Medici illius laudarunt usum, præcipue in suppressis revocandis sputis in pleuritide, & peripneumonia, inter quos nominare sufficiat Cl. SWIETEN. Vid. *comm.* ad BOERHA. *aphor. comm.* ad §. 866.

(84) Contra omnes nervorum affectiones ab omni tempore laudatus summopere fuit, & utilia ex eius usu in praxi effecta singulis observamus diebus. Verum CARTHUSER in diss. *de Cinnab. inert. medic.*, HUNDERTMARK in diss. *de mercur. viv. cum salib. mixt. summ. in corp. human. vi, eiusque cum sulph. laxius, vel arctius coniun. virt. in idem nulla*, Lipsiæ 1757; & præter alios TRALLES in cel. opusculo *examin. absorb. rigor.*, *Cinnabarim* ut iners remedium damnarunt. Speciosius eorum argumentum est, quod nostris non solvatur humoribus; sed revera non est hæc propria huius loci inquisitio. Quis plura desiderat adeat TRILLER *thes. phar. univ.* part. I, *pag.* 29.

Æthiope ſcilicet *minerali* (85), & nuper de *Sublimati corroſivo* (86), & ut alia quamplurima prætercam, de *Cor-*

---

(85) *Anglis* debetur uſus *Æthiopis mineralis*, illumque quammaxime laudarunt in viſcerum omnium obſtructione. In *Germania*, præter alios, SCROMMIUS proprio ſcripto *de æthiope minerali*, edito *Altdorfii* anno 1721 celebrat illum in viſcerum cuiuſcumque generis, glandularumque inveteratis obſtructionibus. At Cel. BOERHAAVIUS (cuius deinde veſtigia ſequuti fuere CHARTHUSER *fund. mater. medic.* part. 2, ſect. 16, *cap.* 4, & GMELIN in laudata ſuperius diſſ.) inertem eius deprædicavit vim, *nam datus intra corpus non valet vaſa abſorbentia venoſa, vel chylifera, vel lymphatica ingredi, ſed recta tantum per fiſtulam inteſtinalem propulſus, ſi fortunato operatur, vermibus forte necatis ano exit*. Vide BOER. *elem. chem.* oper. chim. *part.* 3 in foſſil. *proceſſ.* CCI, *pag.* 272 cit. edit.

(86) Ab annis retro duodecim de hoc remedio data occaſione ſcripſi in *comm.* ad *part.* I *ration. medend.* Cl. DE HAEN editis *Neapoli anno* 1762, *pag.* 245, *&* *ſeq.*, ubi, poſt brevem huius remedii hiſtoriam, quam hic repetere inopportunum fore duxi, notavi, *vidiſſe ab eo tumores Venereos reſolutos, & plures alios ea methodo obſervaſſe caſus Virorum a deſperatis Venereis morbis curatorum, quibus nihil mercuriales litus profecerant*. At deinde novi Cl. ceteroquin Viros contra eius uſum inſurrexiſſe, præcipueque in *Gallia*, ubi MALOVIN *in Chem. medic.*, & Cl. POMME in *Traite des affections vaporeuſes* acriter contra internum *Sublimati corroſivi* uſum ſcripſere, forſan, ut credo, quia mercurialibus litibus nova methodus adverſabatur, tam *Gallis* lucroſa Medicis. Verum ea tandem Regione probus Vir *Beque* de PRESLE fauſto rerum eventu permotus, proprio ſcripto, cui titulus *Memoire pour ſervir a l' hiſtoire de l'uſage interne du Mercure ſublimé corroſif a Paris* 1764, illum ſuo texit præſidio. In *Italia Joannes* a BONA, Cl. nunc *Patavinus* Profeſſor, illius probavit uſum in *Hiſtoria aliquot curationum mercurio ſublimato corrodenti perfectarum*, *edit. Veronæ* 1758; & *Joannes* CALVI *Piſanæ* Univerſitatis Profeſſor in libro, cui titulus eſt *Ragionamento ſopra l' uſo medico intorno del mercurio ſublimato corroſivo, in Cre-*

Cortice Peruviano (87)? quapropter mirum non est, si ipso in ortu Cicuta, inque ejus in Medicina instauratione, tot nacta sit, omnibus fere in Regionibus, Adversarios.

§. XI. QUAMVIS huc usque exposita & ipsa meridiana luce clariora sint; reticere tamen piaculum foret, multoties & me expertum esse, Cicutam multis in morbis nihil contulisse, etsi diebus singulis ejus dosim augeri

Cremonæ 1762, postquam demonstravit interne datum fuisse a *Josepho* SCHMIDS, qui floruit aono 1640, a BONETO, BLANCARDO, BOERHAAVIO, aliisque, plures deinde recenset historias, quæ eius confirmant salutarem usum. Prætereo ea enarrare, quæ de salutari eius effectu *Angli* Medici notarunt in *Medical observations and inquiries by a Society of physicians in London* vol. 1, & 2, deinde *Viennenses*, de HAEN scilicet, & LOKER; tantumque afferam Cel. SWIETENII epistolæ partem ad me datæ die 7 *Octobris* anni 1763, ubi post multa de scirrho liberam deglutitionem impediente, & de opio, de mercurio sublimato pro sua erga me humanitate, scripsit: *Mercurii sublimati usum tutum esse, illis cum cautelis, quibus utor, & quas candide descripsi, certus sum, imo certissimus. In Nosocomio Viennensi, ad hunc morbum curandum destinato, curatorum numerus quinque millia superat: numerosi curantur sparsim a Medicis eodem remedio. In Italia pari modo succedere Egregius Medicus* Bona *tractatulo edito confirmavit. Angli utuntur feliciter eodem remedio, feliciter aucta etiam dosi. Ediderunt Medici Londinenses duos tomos, quibus titulus est*, Medical Inquiries and observations *Anglica lingua scriptos, qui numerosos eiusdem remedii successus continent. In Hispania successisse novi, & in illo Londinensium Medicorum libro legitur in tom. 2 epistola quam scripsi, ubi plura habentur*. Hæc omnia deinde in postremo commentariorum in BOERHAAVII aphorismos volumine mire ornavit, & confirmavit, quæ legi merentur. Vide *comm.* ad §. 1477 tom. 10, *pag.* 149, ad 156, *Neapoli* MDCCLXXII.

(87) Nolo ea, quæ abunde dixi, denuo repetere; quapropter vide a me dicta *comm. ad part.* 1 Cl. DE HAEN *pag.* 120, ad 141.

ri curassem, ejusque usum ad plures menses, imo ad annum usque solidum protraxissem; quin etiam in Ægroto viscerum obstructionibus affecto, a Cicuta ipsa natam observavi febrim, tum & ventris dolores, & alvi profluvium; neque taceo quandoque Cicutam parum, aut nihil lævaminis Infirmis attulisse; & plus vice simplici parvam Cicutæ dosim Ægrotos tolerare non potuisse; quod & aliis evenire remediis Medici non ignorant, unde coactus fui ad alia confugere, ut morbo occurrerem. Notavit hoc idem STORCKIUS in editis de Cicuta libris, & laudatus LEBER (88); & lætus Egomet comperi, recte loquentem naturam observasse, & descripsisse candidos, doctissimosque Viros. Tandem propriis experimentis didici, in exuccis corporibus, Cicutam ut plurimum illorum turbare corpora, nisi copiosis aquosis emollientibus potionibus societur. Hæc candide notavi, ut omnibus innotescat, me non affirmare, cunctis in scirrhis, aliisque in morbis, quibus Cicuta indicatur, securum, certumque esse remedium; nam dantur particulares corporum constitutiones, quæ huic, vel illo adversantur, quamvis innocuo remedio; dantur similes morbi, qui subjectis quamplurimis hoc, aliis illo debellantur remedio; & extant tandem, qui pene incurabiles sunt, uti antiquati scirrhosi tumores. Longa observatione edoctus affirmare possum, illos Cicutam scirrhosos tumores resolvere, dum a materia iis determinatis in locis stagnante, vel ex generali fluidorum vitio deposita, illarum partium structura destructa non sit; nam si ita se res habuit, Cicuta interne, & externe tœdioso quamvis opere, & longo temporis spatio adhibita nihil utplurimum profuit, binisque tantum in casibus summa, qua pollet resolvendi vi, in benignam suppurationem redegit tumores: quapropter non specificum

(88) Libr. cit. *pag.* 70.

cum universale remedium eorum morborum, quibus commendatur dici volo, sed in parvo eorum certissimorum remediorum numero, quæ medicina possidet, illam repono, & *quæ Medicum nobilitant*, ut dixit HELMONTIUS. *Mercurius* in *Gallico* commendatur morbo, ejusque vim enervat, in Gangrena a generali fluidorum vitio, comatosis in febribus, aliisque periodicis, putridisque *Peruvianus cortex*; tamen certissima, ac pene dicam divina bina ista Antidota fallunt interdum; quid mirum itaque si Cicutæ id etiam accidat? *& Ægri, quia non omnes convalescunt, non idcirco nulla medicina est*, quemadmodum TULLIUS scripsit (89); quadere in Medicorum memoriam axioma illud revoco, quod *debet esse proportio inter causæ morbificæ magnitudinem, & inter virium medicamentorum efficaciam*.

§. XII. POSSEM tandem, ut penitus everterem *Anticicutariorum* clamores, aliud in medium validissimum afferre argumentum, deductum ex majori numero Cel. Virorum, qui Cicutam longe pluribus probant felicibus eventibus, quam, qui uno, vel altero exemplo damnant; at ne longioribus ambagibus Lectorem teneam, præter ea, quæ superius dixi, illud tantum referam, quod Cel. CRANTZ notat (90), non omnibus scilicet in officinis adhibitas Cicutas easdem esse, & loca extare, quibus *Cicuta aquatica* GESNERI in officinis recepta est, quæ res summopere notari meretur, *quod sic graviter in salutem proximi, si unam alteri substituatur peccare, & Medicus, & Pharmacopœus possent* (91).

(89) *De natur. Deor.* lib. 2, cap. 4. *Oper. omn. in usum Delphini* tom. 2, *pag.* 557, *Genevæ* MDCCXLIII.
(90) *Mater. med.* tom. 3, *pag.* 58.
(91) Loc. cit. *pag.* 59.

§. XIII. Atque hæc de Cicuta inter permoleſtiſſimos animi motus raptim ſcripta, ſint ſatis; ſique hæc ad multorum imperitorum Medicorum animos convincendos non ſufficiant, qui *vitam regunt fortuna*, *non ſapientia*, ut cum Theophrasto apud Tullium loquar (92), ſuo quiſque utatur jure; unicuique enim liberum eſt ea uti, vel non, hinc pacata mente fero, ſi illis, quæ ſcripſi, diſplicuerint; atque

Hæc quoque, quæ dixi, Judex mirabitur æquus;
Scriptaque cum venia qualiacumque legat (93).



EPI-

(92) *Tuſculanar.* lib. 5, cap. 9. *Oper. omn.* &c. tom. cit. *pag.* 460. Hic eſt ille Theophrastus *Ereſius*, Aristotelis Auditor, quo mortuo, ſcholam Peripateticam rexit. Moritur *Olymp.* 123, anno 3, ætatis ſuæ 85.

(93) Ovidius *t... m* lib. 1, eleg. 1, *verſ.* 45. *Oper. omn.*, tom. 3 *cit. edit.*

EPISTOLA

DE NEAPOLITANA EPIDEMICA FEBRE ANNI MDCCLXIV.

VIRO CELEBERRIMO, DOCTISSIMOQUE GERARDO L. B. VAN SWIETEN, CÆSAREO ARCHIATRORUM COM. &c. &c.

JOANNES VIVENTIUS
S. P. D.

E Longo itinere, Medicinæ Practicæ gratia instituto in Patria, redux, quatuor post menses mihi redditæ sunt tuæ literæ; & quamvis gravioribus defatigatus curis, tamen mandatis tuis obtemperans, omni abrupta mora, ea, quæ diversis carthulis notavi circa morbi nostri naturam ex variis Auctoribus deprompta, dum ferox sæviebat morbus, in ordinem parvo temporis intervallo digessi, typis mandavi, tibique, Vir Doctissime, submisse nuncupo: ut si ad epidemici nostri morbi indolem, naturam, curationemque divinandam erravi, magnam velis sententiam ferre tuam; & (1)

Quamquam animus meminisse horret, luctuque refugit,
Incipiam . . . .

Et si monente HIPPOCRATE ad vulgarium morborum cau-

(1) Æneid. lib. 2, vers. 11.

causas dignoscendas, *aeris conditiones quænam sint, & quibus temporibus, ac regionibus magis, aut minus contingant, considerandæ sint* (2); & ut SYDENHAMIUS docet, *variæ sint annorum constitutiones, quæ neque calori, neque frigori, non sicco, humidove ortum suum debent, sed ab occulta potius, & inexplicabili quadam alteratione in ipsis terræ visceribus pendent, unde aer ejusmodi effluviis contaminatur, quæ humana corpora huic, aut illi morbo addicunt, determinantque* (3); neutrum tamen de eo, quo *Neapolis*, *Campaniæque* reliquæ omnes fere Urbes, aliæque hujus Regni Provinciæ, epidemico oppressæ fuere morbo, dici potest; quoniam perspicuæ satis occurrunt causæ, ferocem, tetrumque morbum producentes, quæ & meo judicio ad strenuas tres satis reduci possunt. I. Ad ingentem corrupti frumenti copiam exteris ex oris adductam, ad annonæ gravitatem sublevandam. II. Ad famem, qua tenujoris sortis homines vexati fuerunt, & absona, & corrupta alimenta devorare coacti. III. Ad animi pathemata summa, quibus omnes, perpetuo rerum in deterius ruentium metu cruciabantur.

I.

Panicum veterem, hordeumque corruptum in panem redactum *Julius* CÆSAR gravem *Massiliensibus* obsessis attulisse pestilentiam, refert (4), idque præsertim exercitibus pestis sæpius causam fuisse, apud quamplurimos alios legimus Historicos. Hujus seculi anno 1737 *Vitembergenses* Cives a pane ex corrupto frumento parato, in

(2) *Oper.* Sect. VII, *De morb. vulgar.* lib. IV, n. 38 pag. 1138 edit. Foesii anni MDCLXII.

(3) Obser. medic. sect. I cap. II.

(4) Comm. bell. civil. lib. 2, cap. 22 pag. 636, edition. *Lugduni Bat.* MDCCXXXVII.

in deliria, ſoporoſos affectus incidiſſe, in geſtarum rerum diarium relatum reperio. Inter morborum cauſas in Populo, corruptum frumentum enumerari video a Doct. TISSOT (5), & malignarum febrium eſſe cauſam, ex ipſo pariter didici (6). Frumentum obſoletum anno 1557 *Delftis* peſtem produxit, notante FORESTO (7), hiſque ſimilia exempla in epidemicarum conſtitutionum Scriptoribus paſſim occurrunt. Qui ad amylum conficiendum ſuccum ex macerato, & corrupto frumento nudis pedibus exprimebant, obſervavit Celeb. RAMAZZINUS (8), *quamvis ſub dio id facerent, tam gravem tamen eſſe odorem, qui ex ſpumante illa materia exhalabat, ut qui pedibus eam premebant, ac ſuperſtabant, nec non ſervulæ, quæ manibus materiam illam preſſam colligebant, ut inde ſuccum Sole exiccandum elicerent, de capitis dolore valde conqueri, nec non de gravi reſpirandi difficultate, tuſſi moleſtiſſima, ut opus aliquando cogerentur intermittere, ni ſuffocationis periculum ſubire voluiſſent.* Videtur igitur ex pane corrupto frumento parato, cacochymiam putredinoſam acrem generatam fuiſſe, ex qua bilis corruptione nata, potens prima noſtrarum epidemicarum febrium cauſa intelligitur. Bilis enim Te, *Vir Doctiſs.*, docente, *omnium humorum citiſſime in putredinem vergit, hinc ſimul ac quid putridi in primis viis naſcitur, mox bilis mutatur* (9). Illud autem, quæ ſunt a me hactenus obſervata, confirmat; quod in Clauſtris Virgines, & quibus boni fuit copia frumenti, a morbo immunes fuere.

Plu-

(5) Avis au Peuple ſur ſa ſante tom. I, chap. I §. II, pag. 45, 46, a *Lyon* MDCCLXIII.

(6) Oper. cit. tom. II, chap. XVII §. 244, pag. 310.

(7) Obſ. lib. VI. obſ. 9.

(8) De morb. Artific. cap. XXIII.

(9) Comm. in Boerh. aph. de cogn., & cur. morb. comm. ad §. 85.

Plura alia Cl. Virorum teſtimonia in medium hic afferre potuiſſem, ut primam epidemici noſtri morbi cauſam ulterius confirmarem: at pauca uſque adhuc expoſita, ſatis, ſuperque Tibi ſunt, *Vir Doctiſs.*, qui omnia penitus introſpicis, ut inde colligas aſſerti veritatem.

II.

Fames, ait HIPPOCRATES (10), *plurimum poteſt in hominum natura, tum ad imbecillitatem, tum ad mortem inferendam;* & GALENUS (11) *ex longiore inedia, acerrimis, acutiſque febribus* corripi homines affirmat; & alibi peſtem deſcribit ex fame ortam (12). Ex commeatuum inopia *Galli* ſub BRENNO *Duce*, inter deſtructæ *Romanæ* Urbis muros peſtilentiam paſſi ſunt, referente PLUTARCHO (13); *nam Camilli terrore frumentatum ire arcebantur:* & in vita DEMETRII, & ANTONII ex fame etiam aliquoties peſtilentiam natam fuiſſe refert (14): & in vita CÆSARIS in caſtris ſuis milites ex ſimili cauſa peſtilentiam fuiſſe expertos. Obſeſſa a VESPASIANO *Hieroſolyma*, ex fame peſtilentiam ortam fuiſſe apud JOSEPHUM legimus; *omnia* enim, *abſque diſcrimine neceſſitas mandere cogebat*: itaut *Nobilis fœmina fame urgente filium ſuum comedit* (15). Inter caſtrenſis *Gallorum* febris cauſas anni 1742, rerum penuriam enumeratam video

(10) Oper. ſect. 1. *De priſc. medic.* num. 10, pag. 11 cit. edit.

(11) Meth. medend. lib. 8 cap. 2 pag. 50 verſa. Lib. 6 claſſ. *Venet. apud Junct.* MDL.

(12) De cib. bon., & mal. ſucc.

(13) Græcor. Roman. Illuſtr. Vit. tom. 1, Vit. Camill. *Lugdun.* MDLX.

(14) Oper. cit. tom. 2.

(15) De bell. Judaic. lib. 6, cap. III n. VII pag. 381, 382 Oper. tom. II not., & verſ. Jo: Hudſonii, *Amſtelodami* MDCCXXVI.

video ab *Antonio Josepho* SCRINCI (16). Morborum publice grassantium causæ, præ aliis, pravi ab ÆGINETA recensentur cibi (17). SENNERTUS a pravis alimentis natam fuisse febrem, scribit, anno 1566 inter MAXIMILIANI II *Imperatoris* copias in *Pannonica* expeditione contra SOLIMANUM (18). Prava alimenta, præter alia, epidemiæ ruralis *Mutinensis* anno 1690 fuisse causam, apud Celeb. RAMAZZINUM habemus (19); & Tu Ipse, *Vir Doctissime*, in absolutissimis ad BOERRHAAVII aphorismos commentariis ex VAN DER-MYE notas, quod *dum in Obsidione Bredana fame pressi Incolæ, impuro victu uterentur, saevissima pestis grassabatur, interimque Regius exercitus, qui hanc Urbem obsidebat omnibus ad vitam necessariis instructus, a dira hac lue immunis erat* (20). Non mirum itaque ex dictis videtur, famem, absona, & corrupta alimenta ad epidemicum nostrum morbum producendum pariter confluxisse. *Post longam famem, tandem iterata corporis actione, humores fiunt inutiles ex mutata indole, seu ineptitudine ad functiones sublevandas*, ut docet Celeberrimus GORTER, *Russus* olim Archiater (21): quapropter deficit necessaria humani corporis partium nutritio, cum ipsis non restituatur id, quod continuo ex eis deperditur, & e corpore foras per sudorem, insensibilem perspirationem, urinam &c. eliminatur: constat enim, neque Te latet, *Vir Amplissime*, ex Physiologicis, humanum corpus in perpetuo consumptionis statu esse.

M Si

---

(16) De febr. malign. castr. Gallor. §. 11, edit. *Prag.* 1742.
(17) Lib. 11, cap. XXXV.
(18) *De febrib. lib.* 4, cap. 14.
(19) Oper. omn. tom. 1, pag. 124, edit. *Londin.* MDCCXLII.
(20) Comm. ad §. 584.
(21) De insens. persp. aph. CCXVIII.

Si talia supra descripta fame pressa corpora ponamus, absona, & corrupta alimenta ingurgitasse; alia subinde caussa eruitur, dicta superius confirmans. Nam si pravæ conditionis cibi difficillime in sanis, robustisque corporibus digeruntur, & in bonorum fluidorum naturam transmutantur, magis id eveniet in corpore fame tabescente, & debili, ex deficientia, & sana aptitudine humorum ad chylopojesin concurrentium, & ex debilitato partium tono; producebatur itaque *defectu mitis nutrimenti, atque attritu continuato*, docente Acutissimo Gaubio (22), *salium, atque oleorum in humoribus summa acrimonia, volatilis, putrida, rancida, pestifera*, epidemicum inferius describendum morbum efficere valens.

III.

Animi pathemata tertiam epidemiæ efficientem caussam constituimus. Fuerunt & sane continuo ipsis vexatæ Gentes. Vix tertia frumenti pars in panem redigebatur. Deerant legumina, ex quibus pauca ad emptorum libitum exponebantur. Factum itaque, ut nunc hic, nunc illic populares tumultus exorirentur; & nec dum priori composito tumultu, alter ex altero exoriebatur. Claudebantur illico officinæ; quisque dulces videre suos, ac sua defendere festinabat. Ubique fœminei gemitus, atque ululatus, puerorumque ploratus. Amicorum numerus, vel mortis, vel præcipitis absentiæ caussa quotidie minor. Quavis via, quacunque hora omni ex parte, *Sanctissima* occurrebat *Eucharistia* cubantibus per plateas non paucis, pessime ægrotantibus. Undique Vespillones mortuos colligebant. Quis autem in tanta rerum permu-

(22) Instit. Patholog. medic. §. 453.

mutatione, ac moerore, intrepidum animum, securamque hilaritatem servare potis erat?

Plura extant apud *Scriptores* exempla, quibus evincitur animi pathemata summa morborum acutorum fuisse causas. RIVINUS affirmat, homines in *Lipsiensi* peste anni 1679 morbum a terrore contraxisse (23). *Joannes* MATTHESIUS pestem describit natam, & progressam per pavorem, & consternationem (24). Bihorii spatio ex peste extinctum fuisse hominem post insignem terrorem, lego apud Cl. Scriptorem (25). Ex terrore, & metu in febrem malignam rusticum incidisse vidit *Simon Paulus* HILSCHER (26). Malignos morbos natos esse ex imaginario pestilenti contagio, habetur apud KUNDMAN (27). Ex terrore BAGLIVUS, refert, multos in malignarum febrium initio perire (28), alioque in loco in Urbibus obsessis malignarum febrium esse causam, statuit (29; & RIVERIUS in castris, Urbibusque obsessis non ex impuro victu tantum, aut cadaverum fœtore, quam ex terrore pestem nasci, affirmat (30). Pestis excogitationem, timorem, & terrorem inter ejus causas adnumerat SENNERTUS (31). Pestis pavorem, pestem creare, HELMONTIUS dixit (32). Tristitiam vires mi-

 nue-

(23) De peste, pag. 30.
(24) Cens. diff. medic. quest. 36.
(25) Recueil sur la peste, pag. 244.
(26) De febrib. malign. in region. *Roemhildensi* a mens. *Decembr.* ann. 1740 ad *August.* 1741 grass. §. XVIII, *Jenæ* 1741.
(27) Pag. 224, 225.
(28) Prax. lib. 1.
(29) Loc. cit.
(30) Oper. omn. De febre pestilenti, pag. m. 105.
(31) De febribus lib. 4, cap. 14.
(32) In Cap. ort. imag. morb.

nuere, probat ROBINSON (33), francere appetitum, SCHELAMMERUS (34); & DIEMERBROEKIUS celebris de peſte, & oculatus Scriptor, notat, nullum majus contra peſtilentiam eſſe conſilium, quam animo eſſe forti (35). Plura huc ſpectantia exempla videri poſſunt, ut brevitati ſtudeam, apud *Marcellum* DONATUM (36). *Danielem* LANGHANS (37), Cel. MURATORIUM (38), alioſque.

Propius tamen ad rei veritatem accedimus, ſi cum SANCTORIO homines moerore, & triſtitia preſſos, levius perſpirare, ponderoſioreſque fieri ponamus (39); unde id, quod excerni debuerat, retentum, in putredinem vergitur. Demonſtratur in Phyſiologicis, humano in corpore nullum ineſſe humorem, quin mora in loco calido non corrumpatur, & ex miti in venenatam indolem non traſmutetur. Perſpirabile igitur retentum, mora, & calore corrumpi neceſſe eſt; hinc putridæ materiæ multa collectio; exque hoc putrido, & acri ſtimulo, docente Celeberrimo GORTER (40), *ſolida magis agitata, attritu frequentiori calorem excitant, calidaſque ægritudines*. Si itaque ex antedictis conſtitit, ſummis animi pathematibus noſtros vexatos fuiſſe Cives, patet ſatis ratio, cur, & animi ſummi motus ſint a nobis inter epidemiæ cauſas adnumerati.

Ex-

---

(33) Food and diſcharges, pag. 77.
(34) Pag. 176.
(35) Lib. 2 de peſte.
(36) Hiſtor. medic. mirab., lib. 3, cap. 13.
(37) De conſenſ. part. §. XL. XLI, XLII.
(38) Del Governo della Peſte, lib. 2 cap. 1. Opere minori tom. 10, pag. 74, in *Napoli* MDCCLX.
(39) Aph. 60.
(40) De minut. peſp. cap. XII. §. XLVI.

Expositis huc usque causis epidemicum nostrum morbum producentibus, una mihi est hic potissimum adnectenda causa, quam libet causam epidemiam spargentem appellare. Fuit ista, *Vir Doctissime*, Pauperum multitudo summa e longinquis Regni Provinciis stipem emendicantium hic, & per proximas Civitates; quorum alii itinere fessi, fame vix ossibus hærentes, deliquiis prehensi, huc, illucque concidebant, nunc vere animam agentes; alii sordidis induti vestibus, turmatim per vias, perque plateas errantes, fœtorem maximum spargebant. Qui in *Coenobiorum* vestibulis panem iis ministrabant, tandem morbum contraxerunt, a quo interficiebantur, omnisque medela incassum iis applicabatur. Affinis huic, causa fuit pariter illa, quæ morbum causabat Infirmorum familiaribus, præcipuæ illis, quibus angusta res domi erat, humilioribusque in locis plures simul habitabant.

In Antiquis, Recentioribusque Scriptoribus, infinita extant testimonia malignarum febrium ex fœtore productarum. Celeberrimus PRINGLE multa collegit huc pertinentia Tibi satis, *Vir. Cl.*, nota, unde ea hic recensere nimis operosum fore duco (41).

Ex omnibus superius enarratis, aperte credo me demonstrasse, *Doctissime* GERARDE, generatam fuisse ex enumeratis causis materiam morbi effectricem. Materia isthæc sensim in corpore accumulata quievit diu, nec actuosam indolem acquisivisse observavimus, nisi ineunte *Majo*, quo aeris calores effervescere cæperunt. Non hic morabor theoriam caloris aeris externi exponere, contenta in animalium corporibus, & corpora ipsa ad putredinem disponentis, nec pariter caloris ipsius vim in putrefactione acceleranda iis corporibus, quæ ex sua natura

tura

(41) Malad. de Armèes, Part. III, ch. VI.

tura ad putredinem ſunt prona ; quapropter ea omiſſa, ad morbi hiſtoriam exponendam tranſeo.

Prehendebantur Infirmi inappetentia ſumma, & obtuſo capitis dolore, turbulentis ſomnis ſociato, quibus poſt tres, aut quatuor dies, parva utplurimum phelgmaticis, & macilentis, violenta junioribus ſuperveniente febre, mutabatur in nauſeam inappetentia, vomitu interdum verminoſo ſociata, aut cardialgia, & maximo capitis dolore. Lingua in hoc morbi primo ſtadio humida erat, albo tamen muco velata, urinæque parum a naturali mutatæ. Pallida erat facies, lubrica, & verminoſa aliquibus alvus, adſtricta aliis. Enarrata ſymptomata, febrem putridam verminoſam manifeſte demonſtrabant, illæque affinem, quam Celeberrimus MARSILIUS deſcribit graſſatam fuiſſe in prima *Budæ* obſidione (42). Curativam indicationem, eo dirigendam eſſe judicavi, ut idoneis remediis vermes expellerem, putridumque profligarem. Intelligebam ſatis, quomodo ex vermium, & putridæ materiæ præſentia nauſeæ cauſarentur, & ex irritatione plexi coronarii ſtomachici ex pare nervorum dicto *vago* efformati, qui juxta duræ matris laterales ſinus oritur, caput a primo morbi ſtadio in conſenſum trahebatur, & turbulenti inde ſomni primum efficiebantur, dolores deinde capitis ; & ex vermium in inteſtinis præſentia intelligebam pariter, cur irritatione aliquibus adſtricta alvus erat, lubrica aliis ; & cur putredine non correcta, & cum vermibus foras ſimul expulſa, inflammabantur tandem inteſtina, delirabant Infirmi ; & ex inteſtinalium nervorum affectione convulſiones, & mors tandem ſuperveniebant : & quamquam poſt tot Clariſ. Virorum obſervationes, adhuc ſub judice ſit, vermium humani corporis generationis cauſa; non improbabile tamen eo, quo verſabamur caſu, judicavi,

(42) Hiſtor. Danub. tom. VI, pag. 114.

cavi, illos ex insectorum ovis originem trahere, absonis, & corruptis alimentis in corpus delatis, cui alimentorum conditioni insecta ova frequentius deponunt. Qua de re, quibus febris magna erat, detracto primum sanguine, præscribebam omni semihora cochlear *oxymellis simplicis*, cyathumque aquæ nive modice refrigeratæ. Mane subsequente purgantem propinabam ex *syrupi florum persicorum* unciis quinque, cum granis decem, aut quindecim *mercurii dulcis septies sublimati*, non ut vermes necarem mercurio; nam Clarissimorum Virorum observationibus, & propriis experimentis edoctus ex iis sum, qui anthelminthicam virtutem inesse mercurio nego; sed ut purganti vim adderem. Purgante assumpto, sedes corruptæ bilis vermibus *teretibus* nunc vivis, nunc mortuis sat copiosæ succedebant ut plurimum.

Quibus vermes corrupta simul cum bile non excernebantur, persistebam in *oxymellis* usu: utque alvus aperta maneret, ter in die enemata iniici curabam ex *aqua hordei*, & *melle* parata; postque alios binos dies purgantem denuo exhibebam, quo vel certe vermes corrupta cum bile, vel cum notato bililioso humore materies cinerea evacuabatur, corruptos, & sphacelatos vermes denotans. Ex descriptis evacuationibus anxietas cessabat, nausea, capitis dolor, febris impetus, & *oxymellis* usu, *limonum succi*, *aqueæ dietæ*, *enematum*, nono, vel undecimo a morbi invasione die, blando superveniente sudore, sanabantur Ægroti.

Notatus morbi finis, adhuc descriptus, iis succedebat, quibus a primo morbi exortu descripta adhibebatur medela. At quibus ob incuriam, vel Medicorum errorem, *oleosa* propinabantur, repetitæ sanguinis missiones celebrabantur, ad capitis dolorem levandum, & *vesicatoria* inde applicabantur, continuo in pejus ruebant omnia; augebatur enim anxietas, capitis dolor, tumebat admodum venter, delirabant Infirmi, comatosi inde fie-

fiebant, convulſionibus tenebantur, increſcebat febris, & nono, decimo, undecimo, decimo tertio vitam cum morte commutabant.

Si ad ægrotos advocabar, quibus deſcripta paulo ante oleaginoſa fuiſſent adhibita male remedia, iis primo ventrem curabam enematibus ſupra notatis aperire, deinde *oxymel* propinabam *nitro* ſociatum, frigefactamque nive *aquam*; & quibus ventris moles magna erat ab aere ex putredine generato, non dubitavi in frigida inſtillare aqua guttulas *ſpiritus nitri*, & lintea prædicta aqua infuſa diſtento abdomini applicare. Dum minutam ſic ventris molem obſervabam, & reſerato enematibus ventre, purgantem exhibui remedium, experientia edoctus, quod ex orci faucibus interdum rapiebantur Infirmi, evacuatis magna corrupta cum bile vermium mataxis. Hæc omnia proſpere interdum ſuccedebant, ſi ſeptimum non dum ſuperaverat diem morbus; tunc enim timpanitico prius abdominis tumori, ſuccedebat viſcerum inflammatio, ſingultus, gangræna, & omnia quævis valentiora remedia incaſſum applicabantur.

Deſcriptam putridam verminoſam febrem ad *Junii* uſque menſis initium graſſare obſervavimus, quo aeris increſcentibus caloribus, indolem morbum mutare viſus eſt.

Precedebant binæ, aut tres noctes ſomnis turbulentis amaræ vigilatæ, ac mane e lecto reſurgentes, qui morbo prehendi debebant, de capitis dolore, laſſitudine ſumma, cibi faſtidio, rheumaticis doloribus, præcipue lumbagine, aut circa præcordia anguſtia conquerebantur. Ex hujuſmodi affectionibus aliquæ, vel aliquantulum inde remittebant, vel perſiſtebant, aut continuo exaſperabantur uſque ad ſecundi, vel tertii diei veſperam, quo febris invalebat rigore, & horrore ſummo, qualis in intermittentium febrium initio eſſe ſolet. Subſequebatur calor maximus, doloris capitis, lumborum, anxie-

xietatis ſummo incremento, quibus utplurimum inanes vomendi conatus, aut æruginoſæ bilis vomitus jungebantur. Noctem, aut inſomnem ducebant Infirmi, aut interruptam, & mille ſpectris, ſomniiſque perturbatam. Mane, quo primum fere a Medicis viſitabatur ægrotans, pulſus erat durus, qualis pleuriticorum, calor maximus, Medicorum digitos acriter calefaciens, facies, oculi inflammati, lingua non aſpera, non arida, ſed copioſo albo muco velata, urinæ leviter perturbatæ, & venter perfecte clauſus.

Notata huc uſque ſymptomata putrida phlogiſtica febre vexari infirmos demonſtrabant. Pulſus durities, calor maximus, faciei ſtatus, oculorumque, ſanguinis miſſionem ſtatim ſuadebant, quæ ſatis copioſa e brachio celebrata, *oxymellis* inde uſus, *aqueæ dietæ*, *clyſteriumque* præſcribebantur. Sub meridiem remittebat aliquantulum febris vis, cumque ea, ſervata proportione, ſymptomata omnia adnotata. Veſpere utplurimum eadem hora recurrebat febris, ſummo pariter rigore, & horrore, cumque omnium ſymptomatum augmento; hancque ſecundam noctem vigilem præ maximo capitis dolore ducebant ægroti. Mane febris fortiter adhuc vigebat, & ſymptomata omnia exaſperata erant, vireſque magis inter cetera proſtratæ advertebantur; alvuſque aut perfecte clauſa pariter, aut paucis ſpumoſis bilioſis lubrica, urinæque jumentoſæ, & lingua non albo, ſed flaveſcente muco velata.

Vomitorium hoc in ſtatu Infirmis præſcribebam, extracto rurſus, ſi neceſſitas urgebat, ſanguine. Vomitorium erat *cortex radicis Ipecacuanhæ*, tribus, aut quinque granis *ſalis tartari vitriolati* ſociatus, quo vomitus æruginoſæ bilis ſat copioſi ſuccedebant, anxietatis fere ſemper remiſſione, doloriſque capitis levamento. Alvus pariter ſæpius præſcripto remedio lubricabatur, olidiſſimis binis, vel tribus corruptæ bilis ſedibus ſucceden-

N ti-

tibus; & sæpe miratus sum cum Celeberrimo SYDENHAMIO (43), *dum forte materiam vomitu rejectam aliquando curiose contemplabar, eamque neque mole valde spectabilem, nec pravis qualitatibus insignem, qui factum fuerit, ut ægri tantum levaminis exinde senserint, ut nausea, anxietas cessarent?*

Vomitorii medicaminis operatione perfecta, leve interdum paregoricum propinabam, ut penitus ex ipso remedio excitatæ in corpore turbationes compescerentur; deinde ad *oxymellis* usum revocabam ægrotos, quinimmo, ut putridum magis profligaretur, *limonum* succus continuo ea, quam potabant, aqua, infundebatur: utque perpetuo alvus aperta maneret, clysteria supponebantur ter in die, ex aqua *malvarum*, *melle*, & *nitro* præparata. Postero die, fortiter adhuc vigente febre, & symptomatibus omnibus exasperatis, vires quoque magis erant prostratæ. Alvus clysmatibus stimulata, pauca fœditissima biliosa exonerabat. Urinæ jumentosæ erant, & lingua magis stavescente muco velata. Fuerunt & qui *olivarum*, aut *amygdalarum dulcium oleum* in hoc rerum statu Infirmis præscriberent; ego vero Tuis, *Vir Doctissime*, permotus rationibus (44), & Celeb. TISSOT auctoritate (45), tum ingenii mei conatibus excussus (46), in putrido hoc morbo oleum exhorrui, tantumque descriptis supra remediis matutino tempore addidi *magnesiæ nitri* drachmas duas aqua solutas, ut leviter, neque violenter pur-

---

(43) Obs. medic. sect. I cap. IV.

(44) Comment. ad Boerh. aph. 89, & 376.

(45) De febrib. bilios. *Lausann.* Method. medend. stat. 2 pag. 52, 54 edit. *Lausannæ* MDCCLVIII.

(46) Comment. ad part. prim. rat. medend. *Antonii de Haen* cap. 2 pag. 79, 80, 81, 82, 83, 84 *Neapolitan.* edition. MDCCLXII.

purgarentur Infirmi, cathartico remedio, ad humores excitandos vix, aut nihil idoneo.

Perſiſtebat hujuſmodi febris ad quintum, vel ad ſeptimum uſque diem, intermittentis typum ſervans, continua vero ſymptomatum omnium exaſperatione, quo Ἐξανθήματα (petechiæ vulgo dictæ) purpurea utplurimum, raro rubra, ex pectore, atque ex collo primo ſe oſtendebant; univerſum deinde corpus occupabant. Summum impetum tunc videbatur deponere febris, aliquibuſque judicatus jam morbus videbatur, criticam morbi depoſitionem hanc petechiarum eruptionem exiſtimantibus: at fallax erat judicium; propterea quod a morbi intenſitate, & impetu originem trahebant: nam ſub harum petechiarum eruptione delirium ſuperveniebat, vires penitus conſternebantur, tendinumque ſubſultus in carpo offendebantur. In diem petechiæ liveſcebant, venter in immanem tumebat molem, doloris vero preſſus expers. Stranguria utplurimum prehendebatur Infirmi, & ad ſingulas urinæ guttulas convellebantur, miſerrimeque ejulabant. Gravabatur inde ſummopere caput, comatoſi tandem reddebantur, convellebantur. Lingua areſcebat, cruſta coloris atri velata. Pulſus debiles, & inæquales reddebantur, celeres tamen. Vox cancloſa. Stertor ſuperveniebat; & muſculis deglutionis convulſis, illorum motus peribat; itaut neque aquam ipſam Infirmi abſque ſtrangulationis metu deglutire poſſent. Tandem ventris moles impenſe augebatur, increſcebat ſtertor, ſingultus his omnibus jungebatur, parotides quibuſdam ſuperveniebant, & decimo tertio a prima morbi invaſione die, octavo, aut nono, mors luctis tantis finem imponebat.

Quæ vidimus aliquando in deſperato rerum ſtatu conferre Infirmis, fuerunt frigida aqua infuſa lintea, & diſtento abdomini applicata, gelidæque aquæ potus. Mixtura ex *ſulphuris ſpiritu*, & *violarum ſyrupo* præparata, cochleatim ſumpta, & *omphacii* ſuccus pari modo mini-

ſtratus, ad Celeberrimi UXHAMI mentem, non parum profuerunt. *Sinapiſmi* cruribus, plantiſque pedum applicatis, veſiculas, plagaſque excitando, juvarunt aliquando. *Moſchus* cinnabari ſociatus, celebre *Indorum* remedium pro hydrophobia, mirifice etiam profuit, ſi ſtatim ac tendinum ſubſultus obſervabantur, propinaretur, quod & pariter Celeberrimus MEAD (47) non ſemel expertus fuit in malignis febribus, *urgentibus præſertim convulſionibus* (48): imo ſingulari caſu, ſolo hoc remedio expertus ſum, orci faucibus raptum fuiſſe Infirmum. *Oleum lini*, juxta Celeberrimi HAENII obſervationes, per catheterem in veſicam injectum, aliquoties levamen magnum attulit ſtranguria doloroſa detentis (49). *Camomillæ* decoctiones, nive refrigeratæ ad putredinem domandam propinatæ, per Celeberrimi PRINGLE experimenta, juvarunt etiam interdum (50).

Qui adnotatorum remediorum uſu, dirum ſuperabant morbum, reſurgebant per magnum ad inteſtina factum motum, quo copioſiſſima olidiſſimæ materie copia, æruginoſi fere, variegati interdum coloris excernebatur. Alii vero ſudoribus ingentibus, aut urina turbida multum ſubſidente judicabantur.

Quæ vero ſummopere nocere obſervavimus, fuerunt *Veſicantia*, a multis Medicis ſummopere celebrata, quibus

(47) Monit., & præcep. medic. de febrib. cap. I, ſect. VI.

(48) De *Moſchi* vi in variis nervorum morbis, & convulſionibus legi merentur, quæ ſcripſit *Lucas* SCHROCKIUS *Luc. Fil.* in accuratiſſima, omnique ex parte abſoluta *Moſchi* hiſtoria, edita *Auguſt. Vindelicorum* CIↃIↃCLXXXII cap. XXI *pag.* 117 ad 123.

(49) Ratio. medend. part. 3 cap. I, edition. *Pariſin.* MDCCLXI.

(50) Oper. citat. in append. memor. 2 exper. XI, XII, XIII.

bus convulsiones augebantur, & utplurimum horum applicatione nigrescebant petechiæ, & gangræna afficiebantur partes, quibus apposita fuerunt. Celeberrimi BAGLIVI præceptum verum manifeste, dolens, vidi, quod vitanda sunt vesicantia, *ubi suspicio convulsionum est, vel jam factæ sunt, præsertim si febris aderit acris, & colliquativa sanguinis constitutio* (51), quod & Tu Ipse pariter adnotasti (52); deinde & Celeberrimus *Taurinensis* olim Medicus RICA (53), Celeberrimus TISSOT (54), Celeberrimus Petropolitanus Medicus *Josias* WEITBRECHT (55), aliique quamplurimi manifeste demonstrarunt, quot damna ex vesicantium applicatione exoriantur in febribus ex putridarum genere: constitit enim per laudati BAGLIVI experimenta, cantharides humores solvere, verum & illos ad putredinem simul disponere (56). *Corticis Peruviani* usum, quem constans ad quintum, vel ad septimum usque diem periodus, petechiarum eruptio per HAENII (57), measque observationes, putredo summa, gangrenæ metus, & convulsiones suadere videbantur, non prorsus inutilem, sed & summopere damnosum experti sumus; & *Camphora* a Celeberrimo Uratislaviensi Medico TRALLES singulari scripto celebrata, inepta prorsus fuit ad deliria debellanda, & præcavenda (58).

Qui

(51) Differt. de usu, & abusu vesicant. cap. III §. III.

(52) Comment. ad Boerh. aph. §. 75.

(53) Constit. epidem. *Taurinens.* ann. 1720 §. XXXII. Adest in calce operum omnium *Sydenhamii*, *Venetiis* edit. ann. MDCCLXII.

(54) Oper. cit. Meth. medendi stat. 2, pag. *62*, *63*.

(55) De febrili constitution. petechizante *Petropol.* ann. MDCCXXXV §. XXXIV, *Regiomonti* 1736.

(56) Differt. citat. cap. I.

(57) Rat. medend. part. 3, cap. I, & part. IV, cap. I.

(58) Vide Commerc. L. N. ann. 1734 n. 4, 10, 33, 34, 47.

Qui descriptas petechias pro critica morbi ad cutem depositione habuerunt, ac proinde ut motus centrum ad cutem sustinerent, diaphoretica propinarunt, mortem Infirmis accelerarunt.

Quibus parotides supervenerunt, quamvis & subito Chirurgorum ope, candenti ferro apertæ essent, Ii levaminis nihil habuerunt.

Hactenus epidemici morbi, heu quantum nobis luctuosi sevitiam usque ad *Octobris* finem sum persecutus, breviterque morbi causas, naturam, symptomata, finem, adhibita remedia exposui, ne longius, quam par erat, excurreret epistola; & summa quidem fide, nulla rerum immutatione, nullis fictis, & ad libitum expositis narrationibus; omnia enim ex adversariis descripsi, ubi quæ singulis diebus in ægrotis observabam, sigillatim adnotabam.

Non me latet, aliquos, probatæ ceteroquin fidei Medicos, atrocis epidemiæ historiam descripsisse; illorum vero scripta legere non curavi, ut candide, quæ circa morbi naturam, accuratissimorum Auctorum lectione, mente reputaveram, Tibi, *Vir Doctissime*, exponerem, quæque Ipse

. . . . miserrima vidi,
Et quorum pars magna fui . . . .

Accipe igitur sereno vultu qualiacunque Tibi a me proficiscuntur, & nuncupantur; meque ut facis ama, & vale.

Dabam *Nolae* VII Kalendas *Aprilis* MDCCLXV.